SANCTA JULIANA VIRGO ET SANCTIMONIALIS CISTERCIENSIS PRIMA ET...

Paolo Pancaldi, Alessandro Mochetti, ...



Mochetti inv. et sc.

S. JULIANA VIRGO CISTERCIENSIS

In Monasterio Corneliensi

Festivitatis SSmi Corporis Christi

Prima, et universalis Promotrix

SANCTA JULIANA

VIRGO

ET SANCTIMONIALIS CISTERCIENSIS

PRIMA ET UNIVERSALIS

PROMOTRIX

SOLEMNITATIS CORPORIS CHRISTI

DISSERTATIO

HISTORICO-CRITICA

AUCTORE

D. PAULO PANCALDI

ABBATE CISTERCIENSI.

FULGINIÆ 1824.

Typis Joannis Tomassini Impres.

A Luna signum diei Festi. *Eccl.* 43 *v.* 7.

Itaque fratres state: & tenete traditiones, quas didicistis: 2. *Thessal.* 2. 14.

RM̃O PATRI D. D. XYSTO BENIGNIO
SACRI CISTERCIENSIS ORDINIS ABBATI
AC
PRÆSIDI GENERALI
MERITISSIMO
D. PAULUS PANCALDI
E. O. A.
FELICITATEM.

Ea est, Reverendissime Pater, Opinionum omnium indoles, ut quo, per aetatem, altius figunt radices, eo etiam difficilius evellantur: quorum autem animus eas semel imbiberit, ita tenaciter illis adhaerescunt, ut ab eisdem divelli numquam, aut nimis aegre, patiantur. Id sane, cum de ceteris constet, ex opinione, quam de primaria SSm̃i Corporis Christi Festivitatis Institutione tenent Volsinates, apertissime patet.

Ex quo namque Deus in Oppido Volsinii celebre illud Miraculum edidit, quo (ad veram Fidem Transubstantiationis Pa-

nis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi, in Eucharistia, confirmandam) in manibus increduli Sacerdotis Sacrosanctam Hostiam convertit in Carnem, ex qua vivus Sanguis effluxit, qui subjectum Corporale madefecit, ac tinxit; ex eo, inquam, tempore apud Volsinates invaluit Opinio, SS. Corporis Christi Festivitatem, ipsius miraculi causa, fuisse institutam: atque huic opinioni Volsinates ita firmiter adhaerent, ut ab aliis etiam velint, absque ulla contradictione, profiteri. Cum enim in Tabula marmorea, quam in Ecclesia, ubi miraculum evenerat, in ejus memoriam eorum majores erexerunt, inveniant scriptum, Urbanum IV. Pontificem, tunc temporis in Urbe-veteri cum tota Curia commorantem, illius miraculi circumstantiis auditis, immensa admiratione repletum, Corporis Christi Festivitatem a cunctis Fidelibus celebrari, pie statuisse; Urbanum ipsum primum Festivitatis hujus institutorem praedicant; & quidem ad hanc instituendam a miraculo motum fuisse contendunt.

Hujus autem opinionis falsitatem is tantum non intelligit, qui praefatae Festivi-

tatis institutionem a S. Juliana nostri Cisterciensis Ordinis moniali originem habuisse non norit. At enim pauci sunt, si doctos Viros excipias, qui singularem hanc S. Julianae praerogativam, illi mirabiliter a Deo concessam agnoscant. Hinc mirum esse non debet, si Volsinatum Opinio totum fere Vulgus inficiat; immo potius mirandum videtur, quod eidem Opinioni Cisterciensis Ordinis juribus tantopere noxiae, nemo Nostratum hactenus obstiterit. Arduam sane rem, & odiosam eam fuisse intelligo; sed, ut Nostratum pace dixerim, quanto Volsinatibus molestior, tanto ea res Cisterciensis Ordinis Amatoribus gratior fuisset, atque jucundior. Id enim in Dei gloriam, Sponsaeque ejus honorem, ac etiam in nostri Ordinis decus redundaturum fuisse, nemo non intelligit.

Jamvero temeritatis arguet me nemo, si, quod ab aliis fuit neglectum, id ego supplere peculiari Dissertatione curavi.

Sed qui tamen temeritatis notam effugiam, si contra Volsinatum, illustrium scilicet Adversariorum multitudinem, solus, ac sine Duce pugnavero? Inaequalis equidem est pugna; & nec Hercules con-

tra duos. Quid igitur, ut praelium fiat aequale? Nempe, ut Tibi R̃me Pater, tamquam Summo totius Cisterciensis Ordinis Capiti, me, ac Dissertationem meam committam. En igitur eam tuo Nomini nuncupatam.

Mihi vero quid opis, quid praesidii ex te sperare non liceat, quem cum Tyrocinii Socium fuerim sortitus, ac deinde in disciplinis tum percipiendis, tum etiam tradendis collegam habuerim, bene semper affectum, & amicissimum habui? Quid, inquam, mihi ex te sperare non liceat, qui ad supremam etiam dignitatem, pro meritis evectus, me non solum in Familiarium tuorum numerum recenseri; sed inter Regiminis Patres eligi voluisti? quinimmo, quasi haec parva forent, monasteria lustraturus, meipsum eximio Convisitatoris honore decorasti: quae quidem omnia libenter memoro, quia cum de gratitudinis debito commonent; me etiam reddunt de Protectionis tuae continuatione securum. Itaque non dubito, R̃me Pater, quin me in arenam descendentem ea, quam Nomini conjungis, Benignitate foveas, protegas, tueare.

Cum Librum, cui titulus -- *S. Juliana Virgo, & Sanctimonialis Cisterciensis, prima, & universalis Promotrix Solemnitatis Corporis Christi* -- Auctore Reverendissimo P. D. Paulo Pancaldi, duo Nostri Sacri Ordinis Theologi recognoverint, & publica luce dignum commendaverint, facultatem concedimus, ut Typis vulgari possit, si Reverendissimo P. Magistro S. P. A. ita videbitur.

Datum ex Monasterio S. Bernardi ad Thermas Diocl. Urbis die 21 Novembris 1823.

D. SIXTUS Abbas Benigni
Præses Generalis.

PRÆFATIO HISTORICA

In qua Controversiæ Status & Auctoris propositum exponitur, exemplis confirmatum.

S. *Julianam Sacri Cisterciensis Ordinis Monialem, & Corneliensis Monasterii prope Leodium olim Priorissam pluribus a Deo Revelationibus, mirisque, ac stupendis Visis fuisse præelectam, ut SSmi Corporis Christi Festivitatem in Ecclesia promoveret; communis est omnium, qui ejus acta scribunt, auctorum assertio, aliorum etiam, qui de vera Festivitatis illius origine pertractarunt, auctoritate confirmata. Quid enim vero, quantumque ipsa per se, & immediate egerit Juliana; quantum autem mediate per Evam Discipulam suam operata sit, ut Festivitas illa in Leodiensi primum Diœcesi celebraretur, utque eadem deinde ad universalem extenderetur Ecclesiam, innumera monumenta commonstrant omni fide, ac exceptione majora. Quare S. Julianam primam, & universalem Festivitatis SSmi Corporis Christi Promotricem fuisse, Cistercienses omnes, ac Leodienses jure gloriantur.*

Hunc tamen honorem Cisterciensibus, ac Leodiensibus debitum Volsinates sibi præripere ge-

stiunt. Jamdiu namque, ipsorum opera, invaluit opinio, quæ totum fere Vulgus invadit, eamdem illam Festivitatem a celebri Miraculo habuisse originem, quod in confirmationem fidei de vera, ac reali Corporis, & Sanguinis Christi sub Eucharisticis speciebus in eorum Oppido operatus est Deus. Accidit enim, ut Præsbyter quidam, dum in Ecclesia S. Christinæ Missam celebraret, prolatis Consecrationis verbis, & Sacramento rite confecto, dubitare cœperit de vera, ac reali Corporis, & Sanguinis Christi sub Eucharisticis speciebus existentia; statimque ex Sacratissima, quam manibus tenebat, Hostia vivus Sanguis effluxerit, qui, Præsbytero de sua incredulitate se conterente, & occultandi Prodigii diligentiam frustra adhibente, totum Corporale tinxit, omnibus, qui Sacrificio aderant, Fidelibus admirantibus.

Ut hujus porro tam stupendi Prodigii perennis extaret memoria, Volsinates illud cum omnibus suis circumstantiis in marmorea Tabula describi curarunt (1); *inter quas illam referunt, maxime notandam, quod Urbanus IV, qui tunc Urbem-Veterem cum tota Curia incolebat, eo audito Miraculo, Corporale ad se adduci jusserit, & Corporis Christi Festivitatem, ejus officium B. Thomæ committens, a cunctis Christi fidelibus*

(1) Exemplar hujus Tabulæ quam ex Templo S. Christinæ sacro transcribi curavimus, in calce Dissertationis tradotur.

celebrari mandaverit. Hinc igitur vulgare præjudicium, quod etiamnum viget, & Volsinates ipsi tuentur, ac fovent, Corporis Christi Festivitatem a prædicto Miraculo originem habuisse.

Magna itaque Leodienses inter, ac Volsinates, orta est contentio, quis eorum videatur esse prior, quisve primas in Festivitatis illius honore debeat parte obtinere. Utrique autem sibi primatum disputant, illis pro Concive sua Juliana, istis pro Miraculo decertantibus.

Ut dicam, quod sentio, res tota componi facile posset, si nimirum diceremus, Leodienses fuisse primos ad eam Festivitatem in Nationali eorum Ecclesia celebrandam; Volsinantes fuisse primos ad eam per universalem Ecclesiam propagandam: utrisque enim sufficere posse videtur hœc honoris discreta partitio.

Sed Volsinatibus divisio ista non placet; ipsi namque totum, & integrum sibi deberi jactitant institutæ Festivitatis honorem; ac marmoream Tabulam pro fundamento habentes, eamdem Festivitatem ab Urbano IV. Miraculi causa primitus institutam fuisse contendunt: quidquid autem ipsis de S. Juliana, ejusque Discipula Eva Leodienses opponunt, inter aniles fabulas, Panvinio duce, recensendum pronunciant.

At enim hoc ferendum non est, ut præjudicium illud S. Julianæ honori tantopere detrahens, et Cisterciensis Ordinis jura invadens

diutius invalescat, ac interim institutæ Festivitatis honore Volsinates impune fruantur. Mirabitur itaque nemo, si Cisterciensis cum sim, Leodiensium partes assumam, et Ordinis mei jura vindicare studeam. Res enimvero semper clamat ad Dominum, nec Dominorum conniventia, aut Possessorum industria tollit jus ad eam repetendam. Quid igitur mirum, si post sexcentos, et amplius annos, quibus Volsinatum opinio impune grassatur, cum Muliere illa Evangelica lucernam accenderim, ut Dragmam vere pretiosam, Institutionem nempe Festivitatis Corporis Christi, quam, eorum opera, Cisterciensis Ordo perdiderat, diligenter inquirerem?

Neque vero id feci sine illustribus exemplis. Nam sicut ab Ordine meo Cisterciensi Corporis Christi Festivitatis institutio; sic Officii concinnatio pro eadem Festivitate a Clarissimo Prædicatorum Ordine fuerat alienata. Vere etenim D. Thomas Aquinas, Urbano IV. committente, sub anno 1263. *hujus Officii concinnator fuit, ut postea, centesimo a concinnatione recurrente anno, Sacer Cardinalium Senatus, coram Urbano V. approbante, dum de translatione Corporis Angelici Doctoris a Monasterio Fossænovæ tunc Ordinis mei Cisterciensis, ad Conventum Tolosanum Ordinis Prœdicatorum, Consistorium haberetur, testatus est, juxta Scriptorem synchronum omnia, ut evenerunt, videntem, et scribentem*

apud Bollandianos. Sed quia ante Pontificatum Urbani IV. Joannes quidam Monachus Cisterciensis, instante S. Juliana, ejusdem Festivitatis Officium pro Leodiensi Diœcesi, ut constabit inferius, ordinuverat; hinc ex aliqua verborum analogia tam in Antiphonis, quam in Hymnis, quæ in utriusque stylo reperitur, ipsimet Bollandiani occasionem arripuere vulgandi, Officium Ssmi Corporis Christi, quod hactenus ab Ecclesia recitatur, opus non fuisse D. Thomæ, sed Joannis Monachi a D. Thoma ad formam Romanæ Curiæ elegantiori methodo redactum.

Ast Natalis Alexander, ut contra conjecturas ejusmodi Angelicum suum vindicaret Magistrum, suoque Ordini ablatam Dominici Corporis Officii concinnationem restitueret, peculiarem edidit Dissertationem, qua satis clare, & nimis fortiter demonstravit, Joannem Monachum in ordinatione Divini Officii Corporis Christi, quo a tempore D. Thomæ ad hœc usque nostra tempora universalis utitur Ecclesia, nullam omnino partem habuisse.

Nec aliter se gessit meus Chrysostomus Henriquez, ut Dragmam aliam non minus pretiosam Ordini suo Cisterciensi recuperaret, Summum nempe Pontificem Benedictum XII. *Ex quodam enim Epitaphio a Claudio de la Ville in sepulchro cujusdam Benedicti Papæ apud Vaticanum invento, & inter Eroica sua Epitaphia lib. 2. relato, ut sequitur,*

„ Hic jacet Benedictus ,
„ Quem Carmelus protulit ,
„ Cassinus aluit
„ Vaticanus coronavit .

argumentum sumpserant Carmelitani Chronistæ probandi, Benedictum Papam duodecimum, ætatis suæ primitias eorum Ordini, maturitatem vero Ordini Cisterciensium consecrasse.

Sed quo pacto, ajebat eis Chrysostomus, Benedictus ille, qui jacet in Vaticano, duodecimus erit, si iste Avenione, ubi extremum diem clausit, in Ecclesia principe S. Mariæ Donorum postremæ resurectionis diem expectat? ut satis liquet ex Epitaphio Sepulcro ejus inscripto sequentibus verbis « Hic subeunt Cineres, & Ossa Benedicti « XII. Pontificis Maximi, qui fuit oriundus ex « Oppido Sanarduno Diæcesis Apamiensis in Co- « mitatu Fuxensi, & appellabatur Frater Ja- « cobus Furnerius Monachus Cisterciensis, Theo- « logiæ Doctor eximius. Fuit primum Abbas « Montis Frigidi, inde Episcopus Mirapicen- « sis, demum Præsbyter Cardinalis tit. S. Pri- « scæ a Joanne XXII. cui immediate in Pontifi- « catu successit, creatus. Apud Ciacc. in Vita « Bened. XII. To. 2.

Præterea, quomodo Benedictus, quem Cassinus aluit, duodecimum inter sui nominis Pontifices locum tenuit, si Benedictus duodecimus, ut ipsimet fatemini, non ex Cassinensi, sed ex

Cisterciensi familia ad summi Pontificatus apicem fuit assumptus?

Tandem Benedictus XII. in Ecclesia PP. Prædicatorum Avenionis Pontificio fuit Diademate redimitus, & colligitur ex reluta inscriptione istis terminis « Quem in summum Pontifi« cem ob ejus Vitæ integritatem elegerunt in Vi« gilia S. Thomæ Apostoli in conventu Fratrum « Prædicatorum hujus Urbis, ubi etiam Calend. « Jan. per Neapoleonem de Orsinis Diac. Card. Co« ronationis insignia suscepit Anno 1335. Ibi. Qua « ergo Corona coronavit eum Mater sua S. Roma« na Ecclesia in Vaticano?

Fortius argumentantur Pontificiæ ac Cisterciensis Historiæ periti, & Auctores. Isti namque ex litteris a Benedicto ipso duodecimo Cisterciensium Abbati Generali, & ejus Coabbatibus in ingressu sui Pontificatus datis sequentis tenoris « Dilectis Filiis Abbati Monasterii Cistercii « ceterisque Coabbatibus, & eorum Conventibus « Cisterciensis Ordinis salutem, & Apostolicam « Benedictionem — Nos igitur, qui juventutis « nostræ tempora in ordine vestro peregimus sub « Sanctæ Obedientiæ imperio, & Observantia re« gulari, ac in eo effecti alumni &c. Et alibi — « Hujus quoque Ordinis ab adolescentia nostra « perseveranter jugum sustulimus &c. » (Apud eumdem Ciacconium) unanimiter concludunt, & ipsis etiam oculis evidenter demostrant, Benedi-

ctum XII. Carmelitarum Ordini suum nomen nunquam dedisse; ac propterea a Carmelitarum Bibliotheca esse expungendum.

Ita Natalis, & Henriquez, quorum ego exempla sequutus, Festivitatem Corporis Christi non aliunde, quam a S. Juliana mei Cisterciensis Ordinis Moniali originem habuisse demonstrabo, eamque proinde primam, & universalem Festivitatis illius Promotricem appellari debere. Quod quidem ut manifestius evadat, hæc tria mihi probanda proposui 1. S. Julianam vere habuisse a Deo revelationes de Festivitate Corporis Christi in Ecclesia promovenda. 2. Festivitatem illam, antequam ab universali Ecclesia celebraretur, idest ante Urbanum IV. Pontificem in Ecclesia Leodiensi jam fuisse institutam. 3. Urbanum IV. ad eam universali Ecclesiæ extendendam a Revelationibus S. Julianæ, non a Miraculo superius relato, motum fuissæ.

His autem probatis, & Volsinensium objectionibus, iis etiam quas pro iis excogitare potui mihi propositis, ac refutatis, Evangelicæ illius Mulieris, cujus supra memini, sollicitudinem imitatus, convocatis omnibus Amicis, ac vicinis, eis dicam cum illa: Congratulamini mihi, *non quia Dissertationem edidi; (hac enim ratione utilius dormire fuit, aliquis diceret cum Ausonio quam somnum, atque oleum perdere) sed* quia Dragmam, quam perdideram, inveni.

ASSERTIO I.

S. Juliana Cisterciensis Virgo vere habuit a Deo Revelationes de Festivitate Corporis Christi in Ecclesia promovenda.

En quomodo de ipsa loquitur Auctor ejus Vitæ eidem Synchronus apud Papebrochium (5. April. in vita S. Jul.) « Tempore juventutis suæ quo-« ties Virgo Christi Juliana orationi incumbebat, » magnum sibi signum, & mirabile ostendebatur. « Apparebat namque ei Luna in suo splendore, « cum aliquantula tamen sui spherici corporis fra-« ctione. Quam cum multo tempore aspexisset, « mirabatur multum, ignorans quid illa significa-« bant. Ex eo autem non satis poterat admirari, « quod quoties orationibus insistebat, dictum si-« gnum indesinenter se illius conspectui ingerebat. « Cum vero diu anxia, & nimis sollicita myste-« rium intelligere desideraret, tandem Christus ei « apparens, in Luna præsentem Ecclesiam, in Lu-« næ autem fractione defectum unius solemnitatis « in Ecclesia significari dixit, quam adhuc volebat a « cunctis Fidelibus celebrari. Hanc autem esse « suam voluntatem, ut ad augmentum Fidei in « fine sæculi debilitandæ, nec non ad profectum,

« & gratiam electorum institutio SS. Corporis, &
« Sanguinis sui quolibet anno semel solemnius, &
« specialius recoleretur, quam in Cœna.

Auctorem hunc Synchronum non longo intervallo, ut ipsimet Bollandiani testantur, (ibi) sequuti sunt Joannes Holstenius Canonicus Leodiensis, Joannes Ultramosanus, & Joannes Wormatius. Et hic inter res a Concivibus suis gestas Historiam hanc breviter, sed disserte commemorat. Quos omnes pro variis temporum differentiis imitati sunt alii quamplurimi, & præcipue, veluti speciali mentione digni

Joannes Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii de S. Juliana loquens sic ait « Nec ambigo
« Virginem humilem perpetua mentione dignam
« esse, eo quod per eam inchoatum sit speciale
« Festum Corporis Christi; siquidem Christus ei
« revelaverat, ut ad augmentum Fidei in finem
« debilitandæ, nec non ad profectum Electorum Cor-
« poris, & Sanguinis sui speciale Festum fueri cu-
« raret. »

Aubertus Miræus in Chronicis ad Annum 1170. hæc habet « Beata Juliana Corneliensis, Virgini-
« bus Instituti Cisterciensis in Cornelio Monte, ad
« Muros Urbis Leodiensis præfuit, quo loco nunc
« est Hospitale, ut vocant, Leprosorum. Hæc
« Virgo Sanctissima, divina revelatione, monituque
« compulsa, institutionem Festi venerabilis Sacra-
« menti ad orthodoxæ Religionis augmentum in
« primis promovit. »

Joannes Capeavillus in suo Tractatu de vera Origine solemnitatis Corporis Christi cap. 17. ita loquitur « Ex authenticis tum historiis, tum documentis per nos superioribus capitulis allegatis, « clarum evadit, Deum, qui humilia respicit, & « alta a longe cognoscit, ante quadringentos circiter annos, præ omnibus Mortalibus S. Julianam « Cisterciensis Ordinis in Monte Cornelio prope « Leodium Religiosam elegisse, per quam Mundo « notum faceret arcanum, quod ab æterno in « mente sua latuerat, consilium scilicet, ut cum « quotidiana Corporis, & Sanguinis sui, quæ in « Missæ sacrificio fit, commemoratione, quotannis ab universa Ecclesia, certa eorumdem solemnis, & festiva memoria fieret.

Bartholomæus Fisen, ut inter suos Flores Ecclesiæ Leodiensis cap. 7. etiam Juliana daret odorem suum, en quomodo de ipsa ratiocinatur « Ab ætate « prima diximus *admirabili visu* Julianæ significatum esse divinitus ad integram Militantis « Ecclesiæ splendorem Festum deesse, qui singularem cultum Christiani Orbis primæ Venerabilis Sacramenti origini deferret, ipsamque ejus « Auctorem futuram. Modestissimæ Virgini gravius « nihil incumbebat, quam cum altissimum silentium, tenebrasque altissimas maximopere sectaretur, in tantam se lucem dare. Perstabat nihilominus post plurium annorum tergiversationes Dei Decretum, ut ab ipsa primum hoc Fe-

« stum proponeretur, quod ab aliis deinde illustri « virtute, sed Angelica potissimum modestia con- « spicuis, ad finem perduceretur.

Bzovius in Annalibus Tom. 13 ad Annum 1230 subjectam materiam tractans, sic pleno calamo de nostra Sanctimoniali scribit: „ Accepit Juliana proin- „ de præceptum cælitus, ut hanc Solemnitatem in- „ choaret, & celebrandam Mundo nuntiaret. Illa „ vero ad hæc obstupescens, sese non posse respon- „ dit. Ceterum quotiescumque Orationi vacabat, „ a Deo monebatur, ut præceptum injunctum perfi- „ ceret, quam ad hoc præ mortalibus cunctis Deus „ prælegisset. Sed illa parvitatis suæ conscia, quæ „ mentis gressum fixerat in Humilitatis fundamen- „ to, dixit: *Domine, dimitte me, & rem hanc* „ *arduam Clericis committe*: Et respondit Domi- „ nus: *Per te omnimode oportet inchoari, ac de-* „ *inceps per personas humiles promoveri*. Igitur „ Juliana Virgo humilis a tempore dictæ visionis „ per cursum annorum viginti, precibus, & gemi- „ tibus inenarrabilibus instabat apud Deum, qua- „ tenus alteri Personæ præfatum negotium Cœli „ Conditor committeret.

Odoricus Raynaldus Annal. Tom. 14. Anno 1264. n. 27. ejusdem materiæ mentionem faciens, ita de Virgine S. Juliana sermocinatur „ Gerebat „ Urbanus Archidiaconatum in Leodiensi Ecclesia, „ cum S. Juliana Virgo divino lumine collustrata „ tum illi, tum aliis Viris pietate, ac doctrina con-

„ spicuis divinam de solemnitate institutæ a Christo Eucharistiæ peragenda voluntatem aperuit.

Prælaudati Bollandiani, ad vitam S. Julianæ, eorum more, cribrandam, sic ingrediuntur „ Duo „ illustria monumenta ponuntur in Actis hic jam „ proferendis: Horum aliud spectat ad Virtutes, & „ res præclare gestas a Sanctissima Virgine Juliana; „ Aliud continet Festi Corporis Christi hactenus summa cum solemnitate in Ecclesia celebrati primam „ originem *ex Viso S. Julianæ Virgini divinitus* „ *oblato*.

Emus item Cardinalis de Petra suorum Commentariorum in Const. Pontif. tom. 3. Urbani IV. Constitutionem super institutione Solemnitatis Corporis Christi, quæ incipit: *Transiturus*, expendens, ut Ordinem nostrum Cisterciensem sua ingenita eruditione novis semper cumularet honoribus de Virgine nostra hæc habet „ Certe id prius revelaverat Deus S. Julianæ Virgini Leodiensi Ci„sterciensis Ordinis; inde Juliana nonnullis piis, „ & Religiosis Viris hæc detexit, præsertim Ro„berto Episcopo Leodiensi, & Jacobo ejusdem Ec„clesiæ Archidiacono, qui postea fuit Urbanus IV.

Illustribus hisce exterorum Testimoniis accedunt, & subscribunt ex nostratibus, Angelus Manriquez, qui postquam (Cisterciensium Annal. tom. IV. cap. 3. n. 1. An. 1230.) Diestemium Blerum de S. Julianæ visionibus loquentem retulisset, ita relationem prosequitur « Pergit Auctor ad decla-

„ rationem ejusdem visionis impetratam post mul-
„ tas preces, quæ gloriosissimæ devotissimæque Fe-
„ stivitatis Sacramenti Eucharistiæ annuatim in Ec-
„ clesia celebrandæ initium fuit. Porro a tempore
„ prædictæ visionis, & explanationis illius viginti
„ adhuc annos elapsos tradunt, resistente Juliana,
„ roganteque, ne tantum opus inutili Mulieri, &
„ nullius omnino auctoritatis, injungeretur.

Chrysostomus Henriquez inter sua *Lilia Cistercii* Julianam referens, sic de ipsa loquitur „ Ad
„ inchoandum siquidem speciale Festum de Sacra-
„ tissimi Corporis, & Sanguinis ipsius Sacramento,
„ quod ipsa Dei Virtus, & Dei Sapientia Christus
„ Jesus adhuc fieri volebat in terris; non multos
„ nobiles, & potentes hujus Sæculi, Sæcularis potentiæ,
„ vel Ecclesiasticæ dignitatis statuit eligendos; sed i-
„ pse, qui infirma Mundi eligit, ut fortia quæque
„ confundat, humilem Julianam, signo sibi proten-
„ so, & significatione divinitus revelata, ad hoc a-
„ gendum mirabiliter elegit. (*Dist.* 3 *cap.* 10.)

Idem in suo Menologio ad 5 Aprilis sic S. Julianæ Festum pronunciat „ Villarii in Belgio depo-
„ sitio Beatæ Julianæ Corneliensis, Ordinis Cister-
„ ciensis Sanctimonialis, quæ multis præcedentibus
„ revelationibus Festum Venerabilis Sacramenti in-
„ stitui curavit.

Ferdinandus Ughellius in additione ad Ciacconium in Vita Urbani IV de institutione Solemnitatis Corporis Christi verba faciens, de Sanctimo-

niali nostra ait „ Historiam hanc, sive hujus Festi, „ inter alios Scriptores scripserunt Joannes Blerus, „ Diesthemius Prior Cenobii S. Jacobi Leodiensis, „ & eruditus, piusque Vir Franciscus de Buiar in „ Vita S. Julianæ hujus Festi divina revelatione In- „ stitutricis.

A quibus omnibus tam exteris, quam nostratibus non recedunt, ex primis Joannes Diesthemius Blerus in Vita S. Julianæ; Arnoldus de Raisse in Auctario ad Molanum; Bartholomæus Fisen in suo erudito Opusculo, cui titulus: *Origo prima Festi Corporis Christi ex Viso Sanctæ Virgini Julianæ divinitus oblato*. Guilielmus Funius in Vita. Auctor Magni Chronici Belgici, qui vivebat Anno 1474. Martyrologium Belgicum ad 5 Aprilis. Menologium Benedictinum eodem die; nec non & MS. varia, quæ in diversis Archiviis Leodiensis Ecclesiæ asservantur, ut videre est apud citatum Papebrochium. Ex secundis allegatus Manriquez in sua Laurea Evangelica lib. 3 disc. 7. Franciscus Bivarius in Vita. Relatus Ughellius Ital. Sac. Tom. I., & alii.

Novissime autem Andreas Pennatius in sua Historia Sacræ Hostiæ &c. italicis hisce clarissimis verbis. „ E tanto più, che questo Sommo Pontefice „ (Urbano IV.) restava persuasissimo della isti- „ tuzione di questa Solennità, essendogli ben nota „ la rivelazione fatta da N. S. alla Beata Giuliana, „ che nella sua Chiesa si dovea istituire questa Fe-

„ sta, come in appresso si racconterà. (Cap. 2 lib.
„ 3 circa finem num. 3.).

Idem ibidem hæc habet „ Nella Terra di Retinna, due miglia lontana da Liegi, Città famosa situata in mezzo delle Fiandre, o Germania inferiore, nacque nel 1193 una Vergine chiamata Giuliana, Cittadina di Liegi ec. Questa Vergine fu parto d'Orazione ec. Fu divotissima della SS. Passione, e della Sm̃a Vergine Maria Madre di Dio, e sopra tutto del Sm̃o Sagrifizio della Messa, e del Sm̃o Sagramento; onde meritò, che Iddio *le rivelasse* l'istituzione della di lui Festa, come racconteremo (Cap. 3 num. 3.).

Idem ibidem „ Dopo il corso di due anni *le fu rivelato* da Gesù Cristo N. S., che la Luna da Lei veduta significava la Chiesa; la parte mancante indicava il difetto di una Solennità nella sua Chiesa, che volea si celebrasse da suoi fedeli (Cap. 3 num. 3).

Idem ibidem „ La Beata Giuliana le narrò la visione della Luna, e il comando, che avea da Dio per l'istituzione della Festa particolare del Sm̃o Sagramento, riserbata nel segreto della Sm̃a Trinità (Cap. 3 num. 4.).

Idem ibidem „ Proseguendo adunque la nostra B. Giuliana le sue ardentissime Orazioni con lagrime incessanti, sino a spargerle di sangue, vedendo che non poteva resistere all'impero, e comando del suo Divino Sposo, essendo già stata

„ eletta Priora nel 1230, incominciò a communi-
„ care la visione, e rivelazione in primo luogo a
„ Giovanni di Lausenna Canonico della Chiesa di
„ S. Martino di Liegi (Cap. 3. num. 5.).

Stantibus igitur Testibus istis, quorum primus dicit cum Joanne cap. 3. *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur;* alii vero cum Luca in Præfatione: *Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis, visum est & nobis assequutis omnia a principio diligenter ex ordine scribere;* stantibus, inquam his Testibus, & attentis regulis ad veritatem vel falsitatem alicujus facti historici dignoscendam præscriptis, videlicet, quod *Historia sit narratio rerum, quas vidit is, qui Historiam condit; & quod firmissima Actorum fundamenta producantur ex Archiviis* (Ant. Zapes in Apparatu ad Chron. univers. Ord. Bened. Tom. 1 in Animadvers.); nihil certius S. Julianæ Revelationibus de Festo Corporis Christi promovendo excogitari posse, concludere possumus.

Verum quia Volsinates his non acquiescunt, æquum erit illos audire, & ipsorum objectionibus respondere.

Insurgunt itaque primo adversus Auctores approbantes S. Julianæ revelationes, & illis nullo pacto credendum contendunt; illi namque auctores, ajunt, vel sunt natione Galli, & quidem pro majori saltem parte, Galli sunt; vel Cistercienses; pri-

mi videntur stare pro Natione; secundi pro Religione: ergo eis nulla fides.

Sed contra est, quod dicunt Bollandiani. Isti namque, ut S. Julianæ gesta ab Auctore synchrono relata ab omnibus tueantur adversis, hæc proferunt „ „ Quæ fides habenda sit hisce monumentis, Auctor „ in præfatione edisserit, dum ait, ea fuisse a Ve„ nerabilibus Personis, & fide dignis cognita, & „ relata, quarum quædam cum ipsa Juliana con„ junctæ de Vita, & Virtutibus ejus plurima co„ gnoverunt. Fuerunt ea primum per diligentiam „ unius valde Religiosæ Personæ, veluti quædam frag„ menta, ne perirent, in lingua gallica litteris com„ mendata, & per Joannem de Lausenna Canoni„ cum Ecclesiæ S. Martini Leodiensis, admiran„ dæ Sanctitatis Virum, approbata; & ex hujus „ Canonici, fidissimi Julianæ Amici, consilio, al„ ter itidem scriptor vertit in latinum „ En quomodo Bollandiani loquantur de Scriptoribus Gallis, qui S. Julianae gesta viderunt. Et en quomodo loquendum sit de Scriptoribus Cisterciensibus, ceterisque, qui gesta S. Julianæ vel ab ipsis audierunt, vel ex Archiviis extraxerunt. Fateantur igitur necesse est Volsinates, quod: *Testimonia eorum credibilia facta sunt nimis*, nisi ab allatis superius Regulis, contra omnium Criticorum commune consilium, deviare velint.

Præter quam quod pro Auctoribus Cisterciensibus militat Decretalis illa Eugenii III. Cap. *in-*

super de Test. & Attest. qua statuitur, *Religiosos posse testimonium ferre in Causis propriis*. Et pro aliis, Rescriptum illud Pascalis II. ad Archiepiscopum Viennensem, apud Gratianum 14. q. 2. cap. *super*, quo resolvitur, *in Causis Ecclesiasticis licere uti Domesticorum, & familiarum testimoniis*. Corruit igitur hoc primum argumentum.

Sed invehunt secundo in S. Julianam hoc modo: Ex Capeavillo cap. 3. Leodienses S. Julianæ coœvi, ut audierunt ejus Revelationes; *Somniatricis* nomen illi dederunt. Ergo non habuit Revelationes; sed somnia somniavit.

Verum contra ipsos stat Urbanus IV., qui in sua Constitutione *Transiturus*, emanata pro solemnitatis Corporis Christi institutione, allegat prò causa institutiónis ipsas Revelationes his verbis « « Intelleximus olim, dum in minori essemus of- « ficio constituti, quod fuerat quibusdam Catholi- « cis revelatum, Festum hujusmodi generaliter in « Ecclesia celebrandum » Jamvero summus Pontifex approbavit Revelationes factas pro solemnitate Corporis Christi instituenda: sed Revelationes istæ factæ non fuerunt, nisi S. Julianæ, & ab ipsa Evæ suæ discipulæ, & aliis Catholicis Personis communicatæ: non fuerunt ergo somnia, sed divina Mysteria.

Quod ut clarius ipsis probetur, audiant, & attente audiant Volsinenses — Inter alia signa quibus Ascetici utuntur pro veris a falsis Revelatio-

nibus discernendis, hæc quæ sequuntur potissima sunt apud Gabrielem a S. Vincentio: De Remed: Jgnorant: Disp: 14. Dub. 6. n. 84.; videlicet. «
« Quod Persona, quæ dicit se habere visiones,
« revelationes, exstases, raptus, internas, & ex-
« traordinarias collectiones, internas consolationes
« gustus etc., sit humilis, mortificata, quæ liben-
« ter maneat in recessu, quæ non quærat laudes,
« honores, applausus, quæ de hac materia vix lo-
« quatur cum suo Confessario, & cum rubore. An
« ista Anima sit honestæ, & probatæ omnino Vi-
« tæ: an libenter accipiat munera: an sit cupida lau-
« dis humanæ: an utatur diligentia ad occultan-
« dum suas visiones: & an libenter se submittat
« judicio Confessarii?

His auditis, aures non avertant, sed iterum præbeant ad ea quæ de S. Juliana prælaudatus Auctor ipsi contemporaneus apud omnes Auctores hucusque citatos enarrare prosequitur, nempe «
« Et vide Virginem sapientem: non agit præci-
« pitanter, non quidquam aggreditur inconsulte;
« sed cum maturitate & deliberatione multa ni-
« mis facit universa; per se probans, & per alios
« probare concupiscens si spiritus ex Deo sunt. Au-
« diant hæc utriusque sexus homines sapientes in
« oculis suis, credentes omni Spiritui: qui quæ-
« cumque mentibus suis occurrerint, divinas exi-
« stimant Revelationes. Julianæ ostenditur Signum,
« revelatur Mysterium, injungitur imo, & inculca-

« tur negotium; & hæc omnia ab eo, qui nec fallere,
« nec falli potest: & tamen per homines in Lege divina
« doctos, & spiritum Dei habentes cuncta præmissa
« postulat retractari. Exposita sunt igitur omnia
« Jacobo de Trecis tunc Archidiacono Ecclesiæ
« Leodiensis, Viro utique plurimum in Lege di-
« vina erudito, & sanctitatis merito decorato. Ex-
« posita sunt etiam cuncta præmissa D. Hugoni tunc
« Priori Provinciali Ordinis Fratrum Prædicato-
« rum; nec non R. P. D. Gujardo Cameracen-
« si Episcopo. Exposita insuper Viro eruditissimo
« Cancellario Parisiensi, ac Fratribus Ægidio, Jo-
« anni, & Gerardo Lectoribus Fratrum Prædicato-
« rum Leodiensium: insuper & multis aliis Perso-
« nis vita, & scientia ad instar syderum mican-
« tium.

His ergo pariter auditis, & istis ac illis inter sese mutuo collatis; suæ ipsorum objectioni respondeant ipsi, nos interim primo puncto sic expenso, ac demonstrato, nempe *S. Julianam Cisterciensem Virginem somnia non somniasse, sed vere divinas revelationes habuisse*, ad id quod secundo loco propositum fuit, incunctanter accedimus.

ASSERTIO II.

Solemnitas Corporis Christi antequam ab universali Ecclesia celebraretur, idest, ante Urbanum IV. Pontificem, in Ecclesia Leodiensi jam fuerat instituta.

Fundamentum potissimum Volsinatum negandi Ecclesiæ Leodiensi hunc vere maximum honorem, nempe ipsam præ aliis omnibus Ecclesiis, quod idem est, ac ante Urbani IV. Pontificatum, Festum Ssmi Corporis Christi peculiariter celebrasse, totum positum est in indicata Urbani Constitutione *Transiturus*, eo quia (inquiunt) per ipsam ab Urbano, & non ab aliquo alio prælaudatum Dominici Corporis Festum noscitur institutum. Sed fundamentum illud facillime evertitur.

Certum est enim Urbanum IV. ad summi Pontificatus apicem assumptum fuisse Anno 1260. vel saltem apud quosdam 1259. ut refert Capeavil; loco cit. cap. 10; aut Anno 1261., ut vult Laertius Cherubinus Bull: tom. 1. Solemnitatemq. instituisse Anno 1264; ut Panvinius in Annot. ad Platinam in Vita Urbani IV., Ciacconius pariter in Vita, & Ughellius Ital. Sacr. tom. 1. vel 1262. ut idem Cherubinus Laertius cit. loco. Qua ratione igitur negant Volsinates, solemnitatem Corporis Christi fuisse institutam ante illius Pontificis

tempora in laudata Ecclesia Leodiensi, cum ab Anno 1246, extet Epistola præceptiva Roberti Episcopi Leodiensis ad suos Diœcesanos data pro solemni Festo Corporis Christi celebrando feria quinta post Octavam Pentecostes?

Anne dubitant Volsinates de vera Epistolæ hujus existentia? En transumptum, quod ab originali vetustissimo Codice in Ecclesia S. Joannis Baptistæ Leodii asservato, deprompsit recensitus Joannes Capeavillus, & retulit in prælibato suo Tractatu super vera institutione Solemnitatis Dominici Corporis cap. 6. Legatur attente.

„ Robertus Dei gratia Leodiensis Episcopus
„ Dilectis filiis in Christo Abbatibus, Prioribus, De-
„ canis, Præsbyteris, ceterisque Ecclesiasticis
„ Personis in Leodiensi Diæcesi constitutis, sa-
„ lutem, & plenitudinem gratiarum.

„ Inter alia &c. Arbitrantes &c. In qua &c.
„ Cupientes igitur hæc commoda Gregi nobis com-
„ misso evenire, & humanam negligentiam ad su-
„ pradictas gratiarum actiones repetendas excitare;
„ statuimus, vobisque præcipimus inviolabiter ob-
„ servandum, ut de præfato excellentissimo Sa-
„ cramento singulis Annis feria quinta proxima
„ post Octavas Trinitatis, Festum solemne cum
„ novem Lectionibus, & Responsoriis, Versiculis,
„ & Antiphonis propriis, quorum vobis copiam fa-

„ cimus, in singulis Ecclesiis Leodiensis Diœcesis „ de cetero perpetualiter celebretis, & celebriter „ observari, ab omni servili opere vacando, tam- „ quam diem Domini nuntietis.

Sed crescunt Leodiensium jura; habent enim duas alias Epistolas valoris pene Pontificii Diplomatis, utpote latas a duobus Cardinalibus a Latere Legatis, super ejusdem Solemnitatis peculiari institutione.

Prima est Hugonis a Sancto Caro primi Cardinalis ex Ordine Praedicatorum renunciati ab Innocentio IV. Anno 1244. ut Ciacconius in Vita Innocentii IV. Tomo 2. Hic cum Legatione apud Imperii Electores fungeretur, eisque electionem novi Imperatoris, Friderico secundo, in Concilio Lugdunensi ab Innocentio deposito, subrogandi persuasisset, multis peragratis Germaniae Civitatibus, Leodium venit; ibique plurium Religiosarum Personarum cum recepisset instantias pro Dominici Corporis Festivitate instituenda; praemisso, inter Missarum solemnia, statuto ab ipso die, Sermone satis erudito ad Populum, in Ecclesia S. Martini, erga Augustissimum Sacramentum pietatis causa collectum, super convenientia, & necessitate Festivitatis ipsius; hanc, quæ sequitur, omnibus Personis sub Legationis ejus amplitudine constitutis Epistolam dedit.

„ Reverendis PP. Archiepiscopis, Episcopis, „ & Venerabilibus Fratribus Abbatibus, & aliis dile-

„ ctis in Christo Rectoribus, Decanis, Archidiaco-
„ nis, & omnibus quorumlibet Ordinum Personis,
„ aliis quoque Christifidelibus infra Legationis no-
„ stræ terminos constitutis, Frater Hugo miseratio-
„ ne divina tituli S. Sabinæ Præsbyter Cardinalis
„ Apostolicæ Sedis Legatus Salutem in Domino.

„ Dum humani Generis &c. Sane licet &c. Cum
„ enim &c. Nos itaque statuentes, quod proxima
„ feria quinta post Octavas Pentecostem Festum
„ de hoc excellentissimo Sacramento infra omnes
„ Legationis nostræ terminos teneatur, universita-
„ tem vestram rogamus, & hortamur in Domi-
„ no, vobis, qua fungimur auctoritate, firmiter
„ præcipiendo mandantes, ac in remissionem pec-
„ catorum injungentes, quatenus dictum Festum
„ prædicta die singulis Annis cum novem Lectio-
„ nibus, Responsoriis, Versiculis, & Antiphonis
„ propriis super hoc specialiter ordinatis in singulis
„ Ecclesiis celebretis, & vestris Subditis annuatim
„ Dominica præcedente pubblice annuncietis, ut
„ vigiliis, eleemosinis, orationibus, ac aliis bonis
„ operibus sic se studeant præparare, ut esse possint
„ illo die participes illius dulcissimi Sacramenti. Da-
„ tum Leodii Pontificatus Innocentii Anno Decimo.
„ (Capeavill. cap. 9.) „

Secunda est Petri Cardinalis Capotii Romani de Regione Montium, qui ab eodem Innocentio missus in Germaniam cum plenæ Legationis officio, ut Ciacconius in Vita Innoc. IV. Tom. 2., eoque

dum fungeretur, Leodium petiit, & in confirmationem Solemnitatis ab Hugone nuper institutæ has ut sequitur, omnibus Legationis suæ Christifidelibus litteras dedit.

„ Petrus miseratione divina S. Georgii ad Ve-
„ lum aureum Diaconus Cardinalis Apostolicæ Se-
„ dis Legatus, Universis Christifidelibus infra Le-
„ gationis suæ terminos constitutis Salutem in Do-
„ mino.

„ Dum in excellentia Deitatis &c. Cum igitur
„ Venerabilis P. D. Hugo Tituli S. Sabinæ Præ-
„ sbyter Cardinalis tunc in Alemanniæ partibus
„ Apostolicæ Sedis Legatus digna duxit providen-
„ tia statuendum, ut ineffabile Corporis Christi Sa-
„ cramentum (quamquam de ipso memoria per
„ quotidianum Sacrificium habeatur) Festum ha-
„ beat speciale prima quinta feria post Festum Tri-
„ nitatis Annis singulis in eisdem partibus sole-
„ mniter celebrandum, prout in Litteris suis in-
„ de confectis plenius vidimus contineri; Nos sta-
„ tutum hujusmodi sanctum, laudabile, ratum,
„ & gratum habentes, illud auctoritate praesen-
„ tium confirmamus, & praesentis scripti patrocinio
„ communimus. Datum Leodii Anno Domini 1254.

Quid clarius? quid verius? quid fortius pro institutione Solemnitatis Corporis Christi ante Urbani IV. tempora demonstranda? Nihilominus ut haec veritas magis magisque pateat, ulterius adhuc procedamus.

Pro certo habetur D. Thomam Angelicum, ex commissione Urbani IV. composuisse Officium Ssmi Corporis Christi, prout hactenus ab Ecclesia recitatur. Ughellius Ital. Sacr. Tom. I.

Sed quid est, quod dicunt Bollandiani, Officium hoc non fuisse Opus D. Thomae; sed Joannis Monachi ex jussu S. Julianae? (In Append. ad 5. Aprilis de Offic. Corporis Christi). Si ante tempora Urbani IV. non agebatur Solemnitas Dominici Corporis; ad quid concinnatio Officii? Forsan temporibus illis recitabatur Officium, & non agebatur Festivitas? Minime, nequaquam. Si igitur ante Pontificatum Urbani IV. recitabatur Officium de SSmo Sacramento, ante illius Pontificatum instituta erat Ssmi Sacramenti Festivitas: Officium enim non fit, nisi de Festo, ut patet ex omnibus Breviarii Rubricis, & ex omnibus Sacrae Rituum Congregationis Decretis.

Porro Conclusio, de qua sermo, tantae auctoritatis est apud ipsos Bollandianos, ut ad probandum, quod Officium Dominici Corporis a D. Thoma compositum, non sit opus D. Thomae sed Joannis Monacchi a D. Thoma ad Stylum Romanae Curiae accomodatum, utantur hac similitudine, nempe „Quid igitur (sunt eorum verba) D. Thomas, ut ipse potius, quam Joannes Auctor Officii credatur? utique nihil minus, quam Urbanus Quartus. Nam sicut hic Festum dicitur instituisse, quia (Notent Volsinates) quod Rober-

„ tus Leodiensis Episcopus Anno 1246 instituerat „ pro sua Diocesi, id ipse Anno 1264. per totam „ Ecclesiam fieri mandavit; ita D. Thomas, Offi„ cium quod ex ejusdem Ecclesiae Leodiensis ri„ tu composuerat Joannes Monachus, id ipse refor„ mavit secundum morem Romanae Curiae.

Quod dictum sit ad corroborationem nostræ Conclusionis; non autem ad impugnationem honoris Angelico Doctori debiti. Ipsum enim cum Natale Alexandro in suis Dissertationibus Apologeticis Dissert: pro S. Thoma §. 3. fatemur unicum officii Dominici Corporis, quod ab institutione universalis Festivitatis usque modo a Catholica Romana Ecclesia recitatur, Auctorem: eo potiori jure, quia ipsimet Bollandiani, re melius considerata, a priori sententia recesserunt, ut P. Conradus Jannigi testatus est sequentibus verbis » Quæsti item RR. » PP. Prædicatores male negatum a nobis D. Tho» mæ Auctori totum Officium prædictum; produ» ctis rationibus ostenderunt quærelarum suarum » verosimilem æquitatem; & continuo obtinuerunt » correctionem nostram, mutatis, quæ mutanda » erant » (Epist. Famil. ad R. P. Sebast. a S Paulo Provincialem Ord. Montis Carmeli num 4.).

Ceterum de ordinatione prioris Officii ante Urbani IV. tempora dubitare minime debent Volsinates; etenim & ipsi Bollandiani, ex Auctore probato, omnem auferunt dubitationem, dum ajunt « Sic Juliana divino, & humano consilio robo-

» rata cæpit intra se cogitare quemnam posset
» ad componendum beatæ solemnitatis Officium ar-
» cessere; sed cum attenderet, se ad manum non
» habere posse viros Literatos, Clericos excellentes,
» qui ad agendum idonei viderentur, confisa solum
» de divina sapientia affutura, quemdam Fratrem
» Domus suæ juvenem quidem, sed plurimum in-
» nocentem ad hoc opus in corde suo disposuit e-
» ligendum &c. Ille, licet ingenii, & scientiæ suæ
» mensuram excedere non ambigeret onus tantum
» (modicæ quippe literaturæ erat) victus tamen
» precibus, & auctoritate Virginis, cujus optime
» noverat Sanctitatem, inquirere, & ordinare præ-
» dictum Officium est aggressus; sicque factum est
„ ut totum Officium novæ solemnitatis nocturnum,
» & diurnum in Hymnis, Antiphonis, Responso-
» riis, Lectionibus, Capitulis, Collectis, & aliis o-
» mnibus proprie propriis, Christi Virgine orante,
» Fratre Joanne componente, Deo autem auxilian-
» te, consumaretur.

Nec diversimode loquitur Aubertus Miræus in Fastis Belgicis, & Burgundicis, in quibus sic »
» Paulo post Officium proprium, cujus exordium
» est — *Animarum cibus* hortatu Julianæ a Joan-
» ne Ordinis Cisterciensis Monacho fuit composi-
» tum: quod a superioribus approbatum, Leodii,
„ Tuneris, & alibi in usu fuit, priusquam a S. Thoma
„ Officium concinnatum auctoritate Urbani IV. pu-
» blicaretur.

Idem porro in Chronicis Cisterciensibus: » Hu-
» jus etiam, inquit, Julianæ hortatu Joannes Ordi-
» nis Cisterciensis Monachus in Cornelio Mon-
» te Deo serviens de Venerabili Sacramento Officium
» Ecclesiasticum, cujus hoc est exordium: *Anima-*
» *rum cibus*, concinnavit.

Demum Ughellius in Additione ad Ciacconium de Urbano IV. disserens dubium complet; ait enim « Porro Urbanus jam Pontifex creatus Festum
„ a se Leodii olim celebratum per universum Or-
„ bem quotannis cum solemni supplicatione coli,
„ servarique præcepit.

Plane sine fundamento non loquitur Ughellius; nam Urbanus IV. cum esset Archidiaconus Ecclesiæ Leodiensis, unus fuit ex illis Theologis, qui S. Julianæ Revelationes probaverant, ut supra in probationibus primæ Assertionis evidenter demonstravimus; eique consilium dederat, ut de Festo istituendo, Officii concinnationem procuraret, sicut nuper dicebamus.

Ast pro coronide aures præbeant Volsinates Emo ac Rmo Cardinali Lambertino Archiepiscopo Bononiensi, qui in suis vere pastoralibus, et eruditis Notificationibus, ut videre est in earumdem recollectione Vol. 1. Notif. 4. sic de Processione Corporis Christi loquens, præsentem controversiam etrusco sermone resolvit « Pompa veramente no-
» bile, e divota etc.; ma ben dovuta alla memo-
» ria della Istituzione di un Sagramento, sotto le

» di cui specie è realmente presente l'Autore de'
» Sagramenti: ben dovuta ad una Festa, che eb-
» be il suo principio nella Città di Liegi, allora
» quando la Beata Giuliana di Monte Cornelione
» manifestò al Vescovo Roberto la celeste Visione,
» che da Esso fu esaminata in una piena adunan-
» za di altri Vescovi, e di altri Ecclesiastici.

Audiant rursus eumdem in alio egregio Opere de Festis Domini nostri Jesu Christi, et B. M. V. latine disserentem » Magna, inquit, erga
» Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum devotio-
» ne fuit Beata Juliana e Monte Cornelione, ad
» Leodii Portas Hospitalaria. Quæ cælesti quadam
» visione admonita ut peculiari Festivitate Sanctis-
» sima Eucharistia coleretur, postquam Priorissæ
» munus illi delatum fuit anno 1230. in Religio-
» sa Domo Montis Cornelionis rem omnem cum
» Joanne Canonico S. Martini Leodiensi communi-
» cavit, qui eam est cohortatus, ut a Theologis,
» & Episcopis consilium peteret. E Theologis quos-
» dam ex Ordine Prædicatorum Fratres, ex Epi-
» scopis Cameracensem consuluit: consultor etiam
» est adhibitus Jacobus Pantaleo Trecensis Archi-
» diaconus Leodiensis, Episcopus deinde Virodu-
» nensis, Summus denique Pontifex Urbanus Quar-
„ tus appellatus, *Probata est omnibus nova Festivi-*
» *tas, ejusque Officium curante B. Juliana com-*
» *positum est*. Etsi autem (semper sunt Lamber-
» tini verba) ut in rebus, quæ Dei cultum tan-

„ gunt, solet accidere, plures intercesserint difficultates, *Robertus Leodiensis Episcopus in Concilio anno 1246. habito novum hoc Festum per omnem Ditionem suam celebrari jussit*, & antequam e vita migraret, voluptatem eam cepit, *ut novum hujus solemnitatis Officium coram se celebrari videret*. Ad hunc modum *institutam Festivitatem* Hugo qui Prior antea, & Provincialis Fratrum Prædicatorum in consilium a B. Juliana adhibitus *rem omnem probaverat*, Cardinalis postea creatus; & in Belgium Legatus ab Apostolica Sede missus, *ab omnibus Præsulibus, et universo Clero Legationis suæ retineri jussit, & coli*; idemque, qui ei in Legatione successit, Capocius Cardinalis biennio post confirmavit.

Nec fuit sub sole novum, quod in Ecclesia particulari celebraretur Festivitas, et recitaretur Officium Dominici Corporis antequam celebraretur, & recitaretur Officium ejusdem in Ecclesia universali. Nam Festum omnium Sanctorum, teste Isidoro de Ecclesiast. Offic., et Sigeberto in Chronic. Anno 835., apud Baronium in Notis ad Martyrologium 1. Novembris colebatur Romæ antequam a Gregorio Papa IV. per universas Orbis Ecclesias ordinaretur.

Commemorationem Omnium Fidelium Defunctorum ex Cluniacensi Ecclesia, in qua eam Sanctus Odilo Abbas ordinaverat, ut apud eumdem Ba-

ronium ad 2. Novembr. notat idem Sigebertus in iisdem Chronicis Ad Annum 998., & Petrus Damiani in Odilonis Vita, Joannes XVI. ad Ecclesiam universalem ampliavit, teste Burio in sua Brevi notitia summorum Pontificum in Vita Joannis XVI.

Festum Immaculatæ Conceptionis B. M. V., quod Sixtus IV., Concilium Tridentinum, Pius V. aliique Romani Pontifices instituerunt pro Ecclesia universali, longe ante ipsorum tempora, videlicet Anno 1070 & 1109. colebatur in Ecclesia Anglicana ex Revelatione facta vel Alpino Abbati, vel S. Anselmo Episcopo Cantuariensi, ut constat ex eodem Baronio (ibi, 8 Decembris); & postea ab Anno 1145. in Ecclesia Lugdunensi stupente Mellifluo Parente Bernardo, ut patet ex ipsius Epistola 174. declamatoria ad Canonicos illius Ecclesiæ, in qua eos arguit & increpat in omni doctrina, ob solum speciale motivum, quod Festum illud celebrassent ante quam ab Apostolica Sede celebrandum proponeretur.

Et tandem ejusdem Dei Genitricis dulcissimi Nominis Solemnitas, quam Summus Pontifex Innocentius XI. ob insignem illam Victoriam sub ejusdem Virginis patrocinio ab Austriaco Cæsare Leopoldo de immanissimo Turcarum Tyranno partam, per totum Catholicum Orbem, universali ritu celebrari præcepit, jam in aliquibus Catholici Mundi partibus ante Innocentii Pontificatum speciali

cultu tenebatur. Breviar. Rom. Dom. 1. post octav. Nativit. B. M. V.

His tamen omnibus non obstantibus, contra hucusque allegata, & probata opponunt Volsinates aliquorum non infimæ notæ Auctorum testimonia, quibus aperte demonstrari authumant, Augustissimi Sacramenti Altaris Festivitatem non antea fuisse celebratam, quam ab Urbano IV. fuerit instituta.

Et inter alia ineluctabile credunt illud D. Antonini, videlicet: *Urbanus IV. instituit Solemnitatem Corporis Christi celebrari per Orbem, quæ prius non celebrabatur* (Tert. part. Hist. Tit. 20. cap. 13. §. 1.). Si prius, inquiunt, idest si ante Urbani IV. tempora, non celebrabatur illa Solemnitas; quomodo ante illius ad Summum Pontificatum assumptionem fuerat instituta?

Recte quidem, sed nihil contra Leodienses concludunt. Leodienses enim probant, Solemnitatem Corporis Christi fuisse institutam ante tempora Urbani IV. in eorum Diœcesi; Divus autem Antoninus dicit, Urbanum IV. instituisse Solemnitatem Dominici Corporis pro toto Terrarum Orbe, ut apertissime colligitur ex illis verbis: *Celebrari per Orbem*. Non ergo negat D. Antoninus quod Leodienses probant; sed probat quod Leodienses minime negant; nempe Solemnitatem universalem Corporis Christi non fuisse celebratam ante Urbani IV. Summum Pontificatum: Quare nihil contra ipsos.

Quod autem Solemnitas, quam Urbanus IV. instituit Dominici Corporis, fuerit universalis, unanimiter docent Auctores omnes, qui vel de Urbano, vel de augustissima Solemnitate verba faciunt; & inter alios, expressius hi, qui sequuntur; videlicet.

D. Thomas in officio Lectione ultima, his verbis, quæ in Breviario desiderantur „ Ut autem in-
„ tegro celebritatis Officio institutionem tanti Sa-
„ cramenti recoleret Plebs Fidelium, Romanus Pon-
„ tifex Urbanus IV. hujus Sacramenti devotione
„ affectus, pie statuit præfatæ institutionis memo-
„ riam prima quinta feria post Octavas Pentecostes
„ a cunctis Fidelibus celebrari. (Opusc. 57).

Leonardus de Utino in Libro de Sermonibus Corporis Christi, apud Monaldum Monaldeschi, hac methodo „ Stupente autem Curia per Sanctissi-
„ mum Pontificem deliberatum est, quod Festum
„ Corporis Christi per universam Ecclesiam cele-
„ braretur, & imposuit D. Thomæ de Aquino Or-
„ dinis nostri Prædicatorum, ut Officium Corporis
„ Christi conficeret ad usum omnium Ecclesiarum.
„ (Comment. lib. 7.)

A quibus non recedunt, Ughellius (in Additione ad Ciacconium) hisce terminis „ Ideoque si
„ universalem ejus Festi institutionem consideres,
„ jure cum D. Thoma (Opusc. 57.) Urbanum
„ IV. institutorem agnosces.

Novissime autem Ignatius Hyacinthus de Graveson in sua Ecclesiastica Historia hujusmodi for-

mulis „ Urbanus quartus hujus nominis Festum „ Corporis Christi quotannis in universa Ecclesia „ ritu solemni celebrandum instituit „ (Tom. 5. Colloq. 2. fol. 98.).

Solemnitas igitur Sacratissimi Corporis Christi, quæ instituta fuit ab Urbano IV. non fuit peculiaris unius Ecclesiæ; sed universalis pro Ecclesia universali: de qua vere potuit D. Antoninus asserere quod *prius non celebrabatur;* adeoque hoc primum Volsinatum argumentum nihil probat. Audiamus secundum.

Episcopus Robertus non instituit Solemnitatem Corporis Christi, quam per suam Epistolam istituendam indixerat, quia paulo post indictionem mortali corpore exutus, ad Cœlum evolavit immortalitate induendus; ut satis constat ex illa Capeavilli exclamatione „ *Sed heu præventus morte, quod* „ *voluit adimplere non potuit!* „ Non ergo solemnitas illa erat ante Urbani IV. tempora apud Leodienses instituta.

Sed objectio ista minus quam nihil Leodiensibus nocet quia, et si verum non esset, quod superius ex Cardinali Lambertino afferebamus, Robertum nimirum Leodiensem Episcopum *antequam e vita migraret, eam cepisse voluptatem, ut novum hujus solemnitatis Officium coram se celebrari videret*; attamen certum est, id quod eo casu non potuit Robertus, fecisse Evam Reclusam S. Julianæ discipulam. Hæc enim post annum a mor-

te Episcopi Roberti, Epistolam ipsius observari curavit, & obtinuit, ut idem Capeavillus subjungit his verbis „ Eva tamen pro auctoritate, quam a„ pud Martinianos Canonicos jamdudum sanctitatis „ nomine collegerat, obtinuit, ut proximo Anno, „ qui fuit illius Sæculi quadragesimus septimus, pri„ mum omnium in Sancti Martini Basilica Festum „ Corporis Christi religiosissime celebraretur. (Tract. cit. cap. 12.) Quare quando Capeavillus dixit quod Episcopus Robertus *morte præventus quod voluit adimplere non potuit*, satis clare innotuit, illum quidem non potuisse per se; potuisse tamen & adimplesse per alios.

Concludendum igitur cum Cl. Martene, quod Festum Ssmi Corporis Christi (utor ejus verbis) „ primam sui originem debet Leodiensibus, qui an„ te omnes Ecclesias illud receperunt, hortante „ præsertim Beatissima Juliana Montis Cornelii a„ pud Leodium Sanctimoniali; sed tandem Jaco„ bus de Trecis, Ecclesiæ Leodiensis Archidiaco„ nus, factus summus Pontifex Urbanus IV. Festum „ Corporis Christi per universam Ecclesiam celebra„ ri mandavit. Sic antiq. Eccl. Discipl. cap. 29. „ de Festo Corporis Christi num. 2. & 3.

Cui conclusioni mirifice favent alias citati Pennatii ejusdem loci, & idiomatis sequentia verba „ *Suscitò adunque Iddio Uomini Venerabili, e* „ *Religiosi per la promozione di questa sua cau-* „ *sa, i quali fecero istanza a Roberto Vescovo di*

„ *Liegi per l'istituzione di questa Solennità, che*
„ *come ripieno dello Spirito di Dio, decretò, che*
„ *si dovesse celebrare questa Festa, e per que-*
„ *sto effetto l'Anno 1246. scrisse una Lettera*
„ *circolare a tutti gli Ecclesiastici comandan-*
„ *do che ogni Anno nella feria quinta dopo la*
„ *Festa della Ssma Trinità dovessero solenne-*
„ *mente celebrare questa Festa particolare del*
„ *Corpo di Cristo, recitando l' Uffizio proprio,*
„ *già composto, del quale a proprie spese fece*
„ *trascrivere venti copie. Ordinò parimente, che*
„ *questa Festa si annunciasse al Popolo nella Do-*
„ *menica precedente, e che si digiunasse nella*
„ *Vigilia di questa Solennità; e che tutta la*
„ *Plebe dovesse osservar questa Festa come gior-*
„ *no del Signore. E per vieppiù stabilire questa*
„ *Solennità, pubblicolla a viva voce nel Sinodo*
„ *Diocesano; e benchè infermo ei fosse, volle che*
„ *si celebrasse in sua presenza il nuovo Uffizio del-*
„ *la Festa del Corpo di Cristo nel principio di*
„ *Ottobre. Passò poi questo gran Prelato all' al-*
„ *tra vita alli 16 Ottobre 1246. raccomandando*
„ *nella sua morte con somma caldezza questa So-*
„ *lennità. Nell' anno seguente 1247. i Canonici*
„ *di S. Martino nel Monte furono i primi a cele-*
„ *brare la Solennità del Corpo di Cristo nella*
„ *feria quinta dopo la Domenica della Ssma Tri-*
„ *nità. Cap. 3. num. 8.*

Ejusdem, ibidem, hæc alia „ *Dopo la morte*

„ *accennata di Roberto Vescovo di Liegi, la qua-*
„ *le successe a* 16. *Ottobre, come si è ridetto, vi-*
„ *vendo la Beata Giuliana in continue tempeste,*
» *e persecuzioni fierissime, il Cardinal Ugone*
» *di S. Caro di Santa Memoria, dell' Ordine*
» *di S. Domenico, venne in Liegi come Legato*
» *Apostolico, e come bene informato dell' istituzio-*
» *ne della Festa, con una sua Lettera circolare*
» *in data li* 29. *Decembre* 1259. *portata nella no-*
» *stra Feriologia, approvò l' istituzione, e l' Offi-*
» *zio composto, concesse l' Indulgenze anche per*
» *l' Ottava; e comandò che si dovesse celebrare*
» *questa Solennità per tutta l' Alemagna, nella*
» *quale stendevasi la sua giurisdizione Apostolica.*
» *Cap.* 4. 2. 2.

Ejusdem, ibidem, ut sequitur » *Per esorta-*
» *zione del suddetto Cardinal Ugone celebrarono*
» *altresì questa Solennità con Uffizio festivo i Ca-*
» *nonici della Cattedrale di Liegi nella loro Chie-*
» *sa. Cap.* 4. *n.* 3.

Secundæ nostræ Assertionis veritate sic demonstrata, & constito quod Solemnitas Corporis Christi ante Urbani IV. tempora fuerit instituta, illud diligenter investigandum superest, quid, sive quæ causa moverit Urbanum ad prædictam Solemnitatem universali Ecclesiæ extendendam; quod erat tertium ultimo loco propositum. Itaque sit.

ASSERTIO III.

URBANUS QUARTUS
ad præcipiendam Ecclesiæ universali Corporis Christi Solemnitatem, non a Miraculo Volsinii, sed a Revelationibus S. Julianæ motus fuit.

Nota, quod hic non agitur de motu, vel impulsu quocumque; sed de motivo, seu de Causa proxima, & finali, a qua, & propter quam motus Urbanus Solemnitatem Corporis Christi universali Ecclesiæ celebrandam præceperit. Jamvero

Quid, sive quæ causa moverit Urbanum, ad Solemnitatem Corporis Christi universali Ecclesiæ præcipiendam, non aliunde melius dignoscimus, quam ex ipsius Urbani Constitutione universali Ecclesiæ data, quæ incipit: *Transiturus* (*). In hac autem constitutione ut eam legenti patet, duæ omnino causæ referuntur; prima est *ad confundendam Hæreticorum perfidiam*; altera, *ob revelationes quibusdam Catholicis factas*. De Miraculo vero ne verbum quidem. At enim si Urbanus motus fuisset a Miraculo, cur eam causam in sua Constitutione reticuisset? Equidem non constat.

Sed quid, quod causæ ipsæ in Constitutione allatæ manifeste probant, Urbanum in promovenda Corporis Christi Solemnitate, non Miraculum

(*) *Constitutio Urbani IV. pro legentium commodo in calce Dissertationis afferetur.*

Volsinii, sed S. Julianæ revelationes sibi ab ea communicatas in mente habuisse? Prima enim causa fuit, ut supra dictum est, *ad confundendam specialiter Hæreticorum perfidiam*. Noverat autem Urbanus, Dominum nostrum Jesum Christum, ut Sponsæ suæ dilectissimæ animum a visione fractæ Lunæ commotum dulciter pacaret, dixisse ei: « Esse suam voluntatem, ut ad augmentum Fidei in » fine Sæculi debilitandæ institutio Corporis, & » Sanguinis sui quolibet Anno solemnius recoleretur (Papebrochius in Vita S. Julianæ ad 5. Aprilis) Jamvero quid magis enervat Fidem, quam Hæreticorum perfidia? quid magis facit ad augmentum Fidei, quam Hereticorum confusio? Ideo igitur Urbanus ordinavit Ecclesiæ universali Dominici Corporis Festum confundendi causa Hæreticorum perfidiam, quia pro certo sciebat, Christum hanc ordinationem Julianæ commendasse ad augmentum, & corroborationem suæ Fidei.

Sed hæc veritas magis etiam patebit in expositione secundæ Causæ. Dicebat enim Urbanus in prælaudata sua Constitutione „ Intelleximus olim, „ dum essemus in minori Officio constituti, quod „ fuerat quibusdam Catholicis revelatum, Festum „ hujusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum.

Non poterat Summus Pontifex pro re nostra evidentius loqui. Erat enim in minori officio constitutus, quando in Ecclesia Leodiensi Archidiaconatum gerebat. Intellexit fuisse quibusdam Catho-

licis revelatum, Festum hujusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum, quando S. Juliana, ne ab aliquo caperetur errore, suas revelationes, post cursum viginti annorum ipsi, & aliis Religiosis Viris doctrina, & pietate præclaris examinandas exposuit, ut eodem diligenti calamo, quo alia, notavit pluries citatus Auctor apud Capeavillum verbis superius relatis non incongrue repetendis, videlicet » Exposita » sunt ergo omnia Jacobo de Trecis (hoc enim e» rat nomen Urbani quando erat in minori officio » constitutus) tunc Archidiacono Ecclesiæ Leodien» sis, Viro utique plurimum in Lege divina erudi» to, & Sanctitatis merito decorato. Insuper & mul» tis aliis Personis Vita, & Scientia ad instar Sy» derum micantibus. Prædictæ siquidem Personæ » omnes, diligenter intellectis, & examinatis me» ritis negocii memorati, uno Spiritu pronunciarunt, » non posse inveniri in Lege divina rationem effi» cacem, quare de Sacramento specialis Festivitas » fieri non deberet. » Sciebat igitur Summus Pontifex Urbanus, divinam esse Voluntatem Julianæ Virgini tam prodigiose ostensam, ut Festum Eucharistici Sacramenti in Ecclesia universali ordinaretur; & ideo illud ordinavit.

Urbanum insuper non a Miraculo, sed a Revelationibus S. Julianæ motum fuisse ad ejusmodi ordinationem faciendam, inter alia satis clara, tria evincunt clarissima monumenta, videlicet Martyrologium Galliganum, Epistola Evæ ad Urbanum IV;

de ordinanda Solemnitate, & Urbani ipsius responsio ad Evam de adimpleto suo desiderio.

Primum apud Henriquez (in Notis ad Menolog. Cisterc. 25. Maii) his verbis » Festum Corpo-
» ris Christi Beata Juliana cælitus admonita in u-
» niversa Ecclesia celebrari procurat, & consequitur
» Anno millesimo, ducentesimo, sexagesimo quarto.

Secundum apud Capeavillum hujus tenoris =
» Anno vero Domini 1259. vel forte 1260. cum tunc
» secundum quosdam Urbanus præesse cæperit, Henri-
» cus Episcopus instinctu cujusdam Reclusæ juxta Ec-
» clesiam S. Martini, cui de Sacramento fuit ostensa
» visio, Urbano Papæ quarto (cui nihilominus hæc
» nota fuerunt, cum dudum fuisset Canonicus Leo-
» diensis) super hoc suas literas destinavit, *quibus*
» *inductus Papa hoc Festum instituit celebrari* (i-
» bi cap. 10.). »

Tertium apud eosdem, Manriquez videlicet, & Capeavillum his terminis „ Urbanus Episcopus
» dilectæ Filiæ in Christo Evæ Reclusæ S. Mar-
» tini Leodiensis, salutem, & Apostolicam Bene-
» dictionem.

» Scimus, o Filia, quod magno desiderio de-
» sideravit Anima tua, ut Solemne Festum Ssm̃i
» Corporis Domini nostri Jesu Christi institueretur
» in Ecclesia Dei a Christi fidelibus perpetuis tem-
» poribus celebrandum, & ideo tibi significamus ad
» gaudium, quod nos ad corroborationem Catholicæ
» Fidei digne duximus statuendum, ut de tam mi-

» rabili Sacramento, præter quotidianam commemo-
» rationem, quam de ipso facit Ecclesia, specialior,
» & solemnior memoria celebretur &c. Magnificet
» igitur Anima tua Dominum, & exultet Spiritus
» tuus in Deo salutari suo, quia viderunt oculi tui
» Salutare tuum, quod paravimus ante faciem o-
» mnium Populorum. Lætare insuper, quia Omni-
» potens Deus tribuit tibi desiderium Cordis tui,
» & voluntate labiorum tuorum non fraudavit te cæ-
» lestis Gratiæ plenitudo, &c. Datum apud Urbem-
» Veterem Sexto idus Septembris Pontificatus no-
» stri Anno 4. Christi 1264. (In notis ad Menolog.
» Cisterc. 25. Junii.)

Eadem veritas fulcitur ulterius, & confirmatur sequentibus rationibus desumptis.

Prima ex Bzovio. Dicit enim, quod Christus S. Julianæ ipsum deprecanti, ut aliis Personis magis idoneis Festivitatis suæ promovendæ onus committeret, hoc dedit responsum: « Per te omnimo-
» de oportet inchoari, ac deinceps per Personas hu-
» miles promoveri » (loco supra cit.). Festivitas igitur Dominici Corporis, prout verba Christi sonant, non per miraculum, sed per Personas humiles promovenda erat apud Summum Pontificem; sed nulla alia Persona illam promovit apud Urbanum Quartum, nisi Eva Reclusa, unicum illius ævi humilitatis exemplar, relative ad revelationes Sanctæ Julianæ Magistræ suæ cœlitus factas, & ipsi communicatas: ergo a Revelationibus, ut ipse protestatus est

in Constitutione, & non a Miraculo, ut Volsinates scripserunt in Tabula, motus fuit Urbanus ad universalem Dominici Corporis Solemnitatem instituendam.

Secunda desumitur ex Oderico Raynaldo, qui asserit, Urbanum IV. in ordinatione Festivitatis Dominici Corporis, nihil aliud fecisse, nisi Oraculum, quo ipsa a Domino indicata fuerat, adimplere. Ipsius verba sunt hæc » Oraculum autem de » ea celebritate in universo Orbe propaganda ab » Urbano impletum est. » (*Ann. sup. not. num.* 22 29.). Sed Revelatio S. Julianæ facta super illius Festivitatis celebratione, nihil aliud fuit, nisi Christi Domini vivæ vocis oraculum, ut ex Auctore supra relato a Bollandianis apertissime colligitur; inquit enim: » Christus ei apparens, in Lu» na præsentem Ecclesiam; in Lunæ autem fra» ctione defectum unius Solemnitatis in Ecclesia si» gnificari dixit, quam adhuc volebat a cunctis fi» delibus celebrari. » Ergo Urbanus ad Solemnitatem pro universali Ecclesia instituendam, non a Miraculo Volsinatum, sed a Revelationibus B. Julianæ motus fuit.

Tertia ratio desumitur ex Menologio Cisterciensi, in quo (ad diem 25 Maii) sic habetur: „ Eodem die Commemoratio institutionis solemni„ tatis Venerabilis Sacramenti per Urbanum IV. „ Pontificem Summum ex Ordine Cisterciensi as„ sumptum, procurante Beata Juliana nostri etiam

„ Instituti Religiosa, ad id divinitus preæleсta. „ Si autem procurante Juliana ad id divinitus præleсta; concludendum ergo, Urbanum IV. non propter Miraculum, sed propter Julianæ Revelationes, augustissimam Dominici Corporis Solemnitatem pro universali Ecclesia instituisse.

Assertionis hujus tertiæ veritate sic stabilita, restat ut eam ab objeсtis, & iсtibus Volsinatum etiam vindicemus.

Insurgunt enim primo adversus ea, quæ in tertia ratione ex Menologio Cisterciensi superius afferebamus, dicentes: Beata Juliana, ut constat ex Miræo in Chronicis ad Annum 1270, & ex Ughellio Ital. Sacr. Tom. I. in enumeratione Episcoporum Urbis-Veteris num. 29. migravit ad Sponsum ab Anno 1247, vel saltem, juxta Marcum Antonium Carrettum in suo Sanсtorali Cisterciensi Tom. II. in vita S. Julianæ, Anno 1257. « Anno Millesimo ducente» simo quadragesimo septimo fundata est Abbatia S. » Viti in Sicilia. Beata Juliana Corneliensis Virgo Or„ dinis Cisterciensis eodem Anno in Domino obdormi„ vit.„ Sic Miræus (apud Henriquez in Menologio ad 5 Aprilis): *Hujus Solemnitatis Promotrix* (ita Ughellius) *ex divina Revelatione, antea fuerat Beata Juliana Corneliensis, Belga, Ordinis Cisterciensis Monialis, quæ ad Cœlum evolavit Anno* 1247. Carrettus autem sic: » Un picciolo spa» zio di tempo avanti, che spirasse, le fu portato „ il SS. Sagramento, alla cui presenza rese l' Ani-

» ma sua purissima a Dio sulle ore nove della mat-
» tina de' cinque di Aprile dell' Anno 1257 in età
» di Anni sessantasei. » Verum Urbanus IV. Pontificatum obtinuit Anno 1260, vel saltem 1259. Quomodo ergo Beata Juliana potuit apud Urbanum IV. Solemnitatis Dominici Corporis institutionem procurare?

Cui objectioni facillime respondetur, si dicamus, devotam Christi famulam Julianam procurasse, & obtinuisse ab Urbano IV. institutionem Solemnitatis, quam desideraverat, non immediate per se, sed mediate per suam discipulam Evam, attentis tamen revelationibus suis, quas Urbanus ab ipsa intellexerat, dum in Ecclesia Leodiensi esset in minori Archidiaconatus officio constitutus, ut satis clare apparet, quoad Urbanum quidem in laudata Constitutione *Transiturus*; quoad Evam autem ex allegato Cisterciensi Menologio his verbis: „ Leodii
» depositio B. Evæ Reclusæ Ordinis Cisterciensis,
» quæ simul cum Beata Juliana Solemnitatem Ve-
» nerabilis Sacramenti miro fervore promovit (25
» Junii). » Recolantur autem ea, quæ de Epistola Evæ ad Urbanum, & Urbani ad Evam superius diximus.

Instant tamen pro Miraculo Volsinates, & quod ex Urbani Constitutione deducere non possunt, ex relationibus aliorum auctorum inferre se posse (sed frustra) confidunt. Ajunt enim

Æneas Silvius, alias Pius Secundus, in suis

Commentariis lib. 4; relato Volsinii Miraculo, ita concludit: „ Quæ res ab Urbano IV. Pontifice Maxi-
» mo plane cognita, & approbata est; atque hinc
» celebritas Sacratissimi Corporis Christi instituta,
» quæ quotannis toto in Orbe Christiano summa Po-
„ pulorum devotione, ac solemnitate peragitur. „

Sed relatio ista ad infirmandam assertionem nostram robur non habet, ut pote quæ a Tabula Volsinatum deprompta fuit; neque vero illustris ille relator eam aliunde depromere potuit. Omnia enim, quæ de Solemnitate Corporis Christi scripta sunt, ab uno ex tribus hisce monumentis depromi necesse fuit: nimirum vel a Constitutione Urbani, vel ab Officio D. Thomæ, vel a Tabula Volsinatum. Sed desumi non potuere neque a Constitutione Urbani, neque ab Officio D. Thomæ; quia nec Urbanus in Constitutione, nec D. Thomas in Officio de Miraculo Volsinii verba faciunt: dicendum igitur est, ea desumpta fuisse ex Tabula, Sed hæc nihil probat; ergo neque relationes ab ea depromptæ.

Quod autem Tabula Volsinii nihil probet, patet, quia supponit, ut supra demonstravimus, Urbanum fecisse diversum ab eo, quod scripsit in sua Constitutione; nempe instituisse universalem Solemnitatem Dominici Corporis vi miraculi; sive inductum a Miraculo, dum ipsemet aperte protestatur, eam se ordinasse a Revelationibus inductum. An illi Tabulæ credendum magis, quam Urbano? Absit.

Pergunt porro Volsinates, & in suæ causæ præ-

sidium advocant Onuphrium Panvinium, qui in suis Annotationibus ad Platinam de subjecta materia tractans, hæc habet: „ Anno Domini 1264. Sacratis-
» simi Corporis Christi Solemnitas quinta feria post
» Octavam Pentecostes ab eodem Pontifice perpetuis
» temporibus cum solemni supplicatione, quæ nunc
» etiam celebratur, instituta est, cum ejus solem-
» nitatis Officium S. Thomas Aquinas, qui eo tem-
» pore publice Theologiam in ea Civitate profiteba-
» tur, composuisset. Id vero factum fuit *propter*
« *Miraculum*, quod hoc tempore Volsiniis in Diœ-
» cesi, & Ditione Urbevetana in Ecclesia S. Chri-
» stinæ accidit &c. Quæ omnia ex ejusdem Ponti-
» ficis Bulla, quæ adhuc extat, intelliguntur. » (*In Vita Urbani IV.*)

Sed contra Panvinium stat ipsa Bulla; Ipse enim asserit Bullam continere omnia, quæ retulit; at eorum, quæ Ipse retulit, nihil continetur in Bulla. Stat igitur contra ipsum.

Advocant etiam Volsinates in suam defensionem Tritemium, qui de Solemnitatis ejusdem institutione ita loquitur: » Quoniam quemadmodum Beata
» Juliana dicere consueverat, hæc solemnitas fue-
» rat in abscondito consilio Summæ Trinitatis, pla-
» cuit Altissimo illis diebus manifestum signum fa-
» cere, quod ad sui Vicarii, hoc est Apostolicæ se-
» dis Præsulis, & omnium Adstantium notitiam
» perveniret. Igitur Sacerdos veniens Bolsenam,
» quod est Oppidum non longe distans ab Urbe-

» Veteri, dum celebraret Missam, dubius in Fi-
» de, vidit carneis oculis Hostiam in formam Pie-
» tatis, & de ea Sanguinem fluere in Calicem &c.
» Quod ubi Populus comperit, ad Urbem-Veterem
» properans Pontifici nuntiavit mirabilia, & stupen-
» da, quæ viderat. » Pontifex igitur ex Tritemio instituit Solemnitatem Dominici Corporis motus a Signo.

Sed contra est quod Volsinates ipsi dicunt in Tabula de incredulo Sacerdote loquentes: „ Atta-
„ men, inquiunt, Omnipotentem Deum quotidie in
» suis Orationibus precabatur, ut sibi dignaretur
» ostendere signum aliquod, per quod posset de
» suo pectore omnis ambiguitas removeri. » Ex confessione igitur Volsinatum, Miraculum fuit Signum datum, non Urbano, ut Festum institueret Corporis Christi; sed Sacerdoti in Fide dubio, ut realem existentiam Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus Eucharisticis fideliter crederet, & humiliter adoraret: quod inferius pleniori calamo demonstrabimus, ubi similem objectionem diluemus.

Interim audiamus ipsum Tritemium sic relationem suam prosequentem: „ Stupente autem Cu-
» ria per Summum Pontificem, qui nondum obli-
» vioni tradiderat (audiant Volsinates) quæ in
» Leodio approbaverat, dum adhuc apud S. Lam-
» bertum resideret, interveniente consilio, & assen-
» su Dominorum Cardinalium, deliberatum est,
» quod Festum Corporis Christi per universam Ec-

„ clesiam semel in Anno solemniter feria quinta „ post Octavam Pentecostes in toto terrarum orbe „ celebraretur. » (*Sing. Opusc.*)

Summus ergo Pontifex, ex Tritemio, Solemnitatem Corporis Christi instituit, quia recordabatur eorum, quæ fecerat, & dixerat, Sancta Juliana perorante, pro Sacra Solemnitate in Ecclesia instituenda. Eo plane modo, quo Petrus Apostolorum Princeps: *Egressus foras flevit amare*, non quia Gallus cantavit; sed quia *recordatus est verbi Jesu, quod dixerat*: *Priusquam Gallus cantet, ter me negabis* (Matth. 26). Vel ea prorsus ratione, qua Filii Israel *Super flumina Babylonis sedebant, & flebant*, non propter Caldaicæ Captivitatis incommoda, sed propter recordationem illius felicitatis, qua fruebantur in Sion; dicebant enim: *Illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion* (Psal. 136). Et tandem ea ipsa ratione, qua Benedictus XIII, Sanctissimæ recordationis, præcepit solemnizari Romæ Festum S. Philippi Nerii, non quia Pontificatus sui circumstantiæ id poscerent; sed quia recordabatur Beneficiorum, quibus Thaumaturgus ille eum cumulaverat, dum Beneventanæ Archiepiscopalis Ecclesiæ clavum regebat. Recordatio igitur eorum, quæ Leodii Urbanus IV. approbaverat, idest Revelationes S. Julianæ „ & non Miraculum Volsinii, ex Tritemio, Pon- „ tificem illum moverunt ad universalem Corporis „ Christi solemnitatem instituendam. »

Urgent Volsinates. Christianus Lupus, ubi de Origine Sacrarum Processionum sermonem habet, sic de institutione Festivitatis Dominici Corporis: » Quapropter prima istius pietatis origo est Urbani » IV. Pontificatus, qui ex magnis rationibus insti- » tuit Sacrosanctum Dominici Corporis Festivitatem » quotannis celebrandam feria quinta post Festum » Ssmæ Trinitatis = Ipsum Leodiensis Ecclesiæ Ar- » chidiaconum, suis, per Venerabilem Hugonem Car- » dinalem tunc Priorem Provincialem PP. Prædi- » catorum, & alios eximios Magistros, probatis Re- » velationibus, moverat S. Juliana, ibidem in Le- » prosorio Sanctimonialis. Postea vero Romanum » Pontificem permovit Miraculum, de quo Panvi- » nius. (*Tom. 2. noviss. impress.*). » Igitur ex Christiano Lupo Urbanus IV. augustissimam Solemnitatem instituit motus a Miraculo Volsinii.

Sed contra est, quod diximus in responsione ad Panvinium. Panvinius enim asserebat, Urbanum instituisse Festivitatem Corporis Christi propter Miraculum Volsinii, quia in sua Constitutione sic Urbanus ipse declaraverat; nos vero demonstravimus, Panvinium errasse, quia Urbanus in Constitutione nullam de Miraculo fecit mentionem. Cum ergo Christianus Lupus in adducta relatione se referat ad Panvinium, concludendum est, eum errasse cum Panvinio.

Præterquam quod Christianus Lupus stat potius pro Leodiensibus, quam pro Volsinatibus; dicit e-

nim, quod Urbanus, cum esset Archidiaconus Leodiensis Ecclesiæ, motus fuerat a S. Juliana ad Solemnitatis institutionem procurandam. Sed quando Urbanus Petri Cathedram ascendit, nondum ex Tritemio oblivioni tradiderat, quæ in Leodio approbaverat, nempe Festum Corporis Christi esse universaliter in Ecclesia celebrandum. Ergo ad illud universaliter instituendum motus fuit a memoria Revelationum, non vero a novitate Miraculi.

Sed instant. Prælaudatus Emus Bononiensis Archiepiscopus post recensita superius verba, eodem dialecto Notificationem suam prosequitur sic » *Pompa ben dovuta ad una Festa, che quantunque il Pontefice Urbano IV. dall' Archidiaconato di Liegi fosse passato al governo della Chiesa universale, non estese ad essa, se non quando essendo ritirato in Orvieto per isfuggire l' invasione de' Saraceni, chiamati in Italia da Manfredi Tiranno della Sicilia, n' ebbe un nuovo mirabile contrassegno, essendo allora succeduto il caso del Sacro Corporale, che fu ritrovato intinto di Sangue*: » Ex hac, inquiunt, narratione Urbanus instituit Corporis Christi Solemnitatem, quia Deus per Miraculum Volsinii dedit ei signum, ut eam institueret. Ergo ad eam instituendam motus fuit a Volsinensium Miraculo.

Contra est tamen, quod Odericus Raynaldus in suis Annalibus refert; dicit enim, simile Miraculum accidisse in Regnis Hispaniarum sub Gregorii

Papæ IX. Pontificatu; & en ejus verba: » In Va-
» lentino etiam Regno præclare a Christianis certa-
» tum est, qui cum Arcem Chium obsidione cin-
» xissent, concurrentibus mox eo Hostibus tanta
» multitudine, ut nostros numero longe superarent,
» divino præsidio muniti gloriosissimam victoriam
» retulerunt: Cœlestis vero auxilii ipsis immissi,
» Christique in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento
» præsentiæ illustre *Signum* a Domino editum:
» Cum enim Sacerdos divina perageret mysteria, ac
» sex numero Hostias consecrasset, ut totidem Du-
» cibus exercitus, qui intererant, & Eucharistia re-
» fici, antequam inirent prælium, peroptabant, por-
» rigeret; elato, ad capienda in Hostem irrumpen-
» tem Arma, clamore, omnibusque ad pugnam con-
» volantibus, *Corporalibus* divinas Hostias involu-
» tas recondidisset; partaque victoria, ipsas vene-
» rabundus inspexisset, *Corporalia* purissimo San-
» guine perfusa, atque hærentes illis Hostias vidit,
» quæ Darocam in Aragonia, ubi venerationi Fide-
» lium sunt exposita, translata fuere: De quo ce-
» leberrimo Miraculo nonnulla Manuscripta apud
» nos extant: » (*Tom.* 14. *Anno* 1240. *n.* 26.)

Idem dicunt Granata (De præstantia Christianæ Religionis lib. 2. pag. 282.) Dominicus Magri (in suo Hierolexico verbo *Corporale*; Bzovius) Annal. Tom. 13; & Marian (de Rebus Hispanicis).

His itaque prælibatis, dicant Volsinates; quare Gregorius IX. tum Summus Pontifex non institue-

rit Solemnitatem Corporis Christi ad Miraculum Valentiæ; & eam instituit Urbanus IV. ad Miraculum Volsinii? Respondere, quod sic placuit Urbano, & non Gregorio, non decet insigni eruditione Viros, utpote bene callentes, quod Pontifices Romani nil decernunt absque solido fundamento: Dicere, quod Urbanus habuit præ oculis Miraculum, non autem Gregorius; adeoque illum, & non istum moveri debuisse ad Festivitatis institutionem, dedecet Catholicos Viros, tamquam optime instructos, quod Miracula quæ a Deo fiunt in Regnis Hispaniarum, imo etiam in Sinarum Imperio, non sunt minus credibilia iis, quæ in Italia nostra, & Romæ patrantur.

Dicendum igitur, Deum in illo Sæculo duo signa dedisse Hominibus; unum pro institutione Solemnitatis Corporis Christi; aliud pro manifestatione veritatis Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus Eucharisticis. Primum, mediis Revelationibus S. Julianæ factis in fractione Lunæ; secundum, mediis Miraculis Valentiæ, ac Volsinii patratis. At enim ita senserunt, signanter quoad secundum, antiqui Volsinates, & ideo scripserunt in Tabula, ut supra in responsione ad Tritemium: Odericus in Annalibus, ut nuper in hac responsione. Et Ænæas Silvius in adductis Commentariis, ut sequitur: „
» Apud Volsinates Sacerdos quidam cum rem di-
» vinam perageret, atque in Sacramento Altaris
» *divinitatem, humanitatemque* Christi Salvatoris

„ adesse dubitaret, mox Hostia in conspectu ejus
„ cruentata *Fidem egit* .

En igitur quare Urbanus, & non Gregorius Solemnitatem instituit; quia Urbanus, & non Gregorius conscius fuerat primi signi. Gregorius enim neque ante, neque post Miraculum intellexerat divinam fuisse voluntatem, ut in Ecclesia universali Festum Ssmi Corporis Christi institueretur; & ideo audito Miraculo, Festum non instituit, quia Miraculum per se non conducebat ad institutionem Festi: Urbanus vero non solum intellexerat Revelationem pro Solemnitate instituenda, ut ipse protestatus est in sua Constitutione; sed referente S. Juliana, ipsam approbaverat, & Festum relative ad suam approbationem ab Episcopo Leodiensi Roberto institutum, celebravit, antequam Pontifex fieret; ideoque Pontifex factus, illud in Ecclesia universali celebrandum ordinavit. Corruit ergo argumentum petitum a *Signis*. Miraculum enim Volsinii nec fuit, nec esse poterat instituendæ Solemnitatis Signum.

Ex his patet responsio ad ea, quæ ex Emi Lambertini Notificatione afferebantur; nempe Urbanum IV. instituisse Festivitatem in Ecclesia universali, non quia motus fuerit a Miraculo, sed quia ex Revelationibus S Julianæ Voluntatem Dei esse noverat, ut Festivitas illa institueretur, & ad universalem Ecclesiam extenderetur.

Nihil autem refert, quod Urbanus ad Eccle-

siam universalem Festivitatem illam extenderit, *essendo succeduto il Caso del Sacro Corporale*.

Nam, præter quam quod, ut superius observavimus, nihil Miraculo cum Festivitate; vana prorsus, ni etiam absurda foret illa conclusio: *Post hoc; ergo propter hoc*.

Atqui, resumunt Volsinates, Urbanus IV. certus non fuit de Voluntate Dei circa Festivitatem instituendam, nisi post Miraculum. Nam ut idem Lambertinus ait (in Opere de Festis Domini nostri Jesu Christi, & B. M. V. cap. 13. n. 5.) „ » Jam Eves preces ad Pontificem (Urbanum) pervenerant, qui rem adeo gravem, in qua de Festivitate ad universalem Ecclesiam extendenda agebatur, *cunctando protrahebat*, *ne quid temere suscepisse videretur*. *Sed stupendo per id tempus Miraculo edito Pontifex commotus*. *Constitutionem evulgavit*, qua ab universali Ecclesia Festivitatem hanc celebrari mandavit. „ Quæ vero cunctandi ratio, longiusque protrahendi rem inesse poterat Urbano; quæ temeritatis notam incurrendæ formido, si de Voluntate Dei certus fuisset? Ergo si post Miraculum Festivitatem instituit; si stupendo Miraculo edito commotus Constitutionem evulgavit, de Voluntate Dei certior factus fuit a Miraculo, & propter Miraculum Festivitatem instituit.

Verum non est, cur Volsinates Emi Lambertini verba tantopere jactitent, cum eadem illa cun-

ctationis Urbani clarissimam exhibeant rationem. Pontifex enim cunctando protrahebat, non quia, ex Lambertino, de Voluntate Dei certus non esset, jamdiu si quidem de ea certiorem factum Emus Auctor ostendit, ubi S. Julianæ Revelationes non solum ei notas, sed etiam ab eodem, *antequam esset Pontifex*, approbatas fuisse testatur (Ibidem paulo ante verba in Objectione citata n. 4.); sed *ne quid temere suscepisse videretur*: qua quidem causa, cunctandi scilicet, ac protrahendi, nulla potior, aut convenientior poterat assignari. *Agebatur* enim, ut idem ait (Ibidem) *de re gravi*, seu *de Festivitate ad universalem Ecclesiam extendenda*. Quantumvis igitur certus de Voluntate Dei Pontifex esset, cunctandum tamen ei fuit, ac protrahendum, ne, re tam gravi celerius expedita, temeritatis notam fortassis incurreret.

At enim quo pacto notam illam effugisset Urbanus, si statim Evæ precibus morem gerendo, expetitam Festivitatem absque ulla cunctatione, vel mora, ad universalem extendisset Ecclesiam? Quid dictum non fuisset de Pontifice illo, præsertim a multitudine malignantium, si tam cito, ac libenter Mulierculæ precibus acquievisset? Ex quo igitur dicat Lambertinus, Urbanum cunctando protraxisse Festivitatem, inde non infertur, eum de Voluntate Dei certum non fuisse; sed in re tanti momenti cunctando, prudenter egisse.

Ac re sane vera, si legitima illa esset illatio;

etiam ex eo, quod Pontifices, ut omnem calumniandi occasionem Hæreticis tollant, Fidei quæstiones non cito definiunt, nec obortas hæreses, nisi maturo examine præmisso, condemnant; imo etiam plerumque ad Concilia Generalia remittunt prius ab illis examinandas, atque damnandas, quam definitivam ipsi sententiam proferant; eosdem Pontifices de Veritatibus Fidei certos haud esse, legitime posset inferri. Sed apage commentum.

Insulsum denique est, quod ex eodem Lambertino Volsinates colligere satagebant, Urbanum nimirum de Voluntate Dei certiorem factum fuisse a Miraculo. Quid enim a Miraculo de Festivitate instituenda discere potuit Urbanus, quod antea non didicisset a S. Julianæ Revelationibus?

Attamen, si Lambertini verbis, ut par est, adhærere velimus, Pontificem de Miraculo potius dubitasse, quam ab illo de Voluntate Dei certiorem factum fuisse dicemus. Et sane, postquam Eñus Auctor Corporalis factum enarravit, illico subjungit: *Cujus Miraculi fama commotus Pontifex, ipse Linteum videre voluit*. Quid est autem, amabo, voluisse videre Linteum, nisi voluisse de audito Miraculo fieri certiorem, ac proinde de ipsius veritate dubitasse? Thomas certe videre voluit, ac tangere, quia dubitabat, imo non credebat Christum resurrexisse: *Nisi videro, & tetigero*, inquit, *non credam* (Jo. 20 27).

Quid quid vero sit, *Miraculi fama commotus*

Pontifex voluit ipse videre Linteum ; ait Lambertinus , ac statim hæc notanda subjungit : „ *Ac no-*
„ *vissimas preces memoria repetens , quæ ad pe-*
» *culiarem Festivitatem Corporis Christi impetran-*
„ *dam sibi erant expositæ* ; ea etiam *revolvens a-*
» *nimo , quæ Leodii multo antea acceperat , & ac-*
„ *curato examine perpenderat* ; reputans præterea
» quantopere necessarium esset , ut gliscens Beren-
» garii hæresis , qui realem Corporis Christi sub spe-
» ciebus panis , & vini præsentiam impugnabat , au-
» ctoritate publica frangeretur , *Constitutionem e-*
» *didit . . . . qua* ad Hæreticos comprimendos , &
« exaltandam Catholicam Fidem singulis annis , eo-
» dem quo nunc die , *Festivitatem Corporis Chri-*
„ *sti in universali Ecclesia celebrari jussit* . „ Hactenus Lambertinus , ex quo pronum est argumentari .

Id nempe dicendum est movisse Urbanum ad Festivitatem Corporis Christi universali Ecclesiæ imperandam , quod animo revolvens ipsius Festivitatis celebrandæ necessitatem intellexit, ideoque ea de re Constitutionem vulgavit . Urbanus autem , ex Lambertino , Revelationes S. Julianæ , iisque innixas Evæ preces animo revolvens intellexit , quantopere necessaria esset illa Festivitas , ac propterea Constitutionem edidit , qua eam in universali Ecclesia celebrari jussit : Immo , ut Lambertinus idem (ibidem) observat : „ In eam Constitutionem Revela-
» tiones etiam , quas , antequam ad Apostolatum
„ fuisset evectus , cognitas habebat inseruit . „ Er-

go, per Lambertinum, S. Julianæ Revelationes fuerunt Urbano verum, & unicum Ecclesiæ universali imperandæ Festivitatis motivum.

Frustra igitur Volsinates Lambertinum opponunt, qui tam aperte Leodiensibus favet.

Instant nihilominus Volsinates cum Bzovio, qui, enarratis Urbani IV. expeditionibus, aliisque rebus gestis pro dilatatione Christianæ Fidei in Oriente prosequitur: „ Non neglexit pariter in Occiden-
„ te res ejusdem Fidei orthodoxæ illustrare, & pe-
„ ctoribus humanis depungere, instituta celebri So-
» lemnitate Festivitatis Corporis Christi ad feriam
„ quintam post Octavas Pentecostes: *Occasionem*
„ dedit Sacerdos quidam apud Volsinates Dioecesis
» Urbe-Vetanæ. Is enim cum Sacra Missarum So-
» lemnia celebraret, Sacramento Eucharistiæ jam
» confecto, de panis, & vini transubstantiatione,
» & Christi Corporis sub speciebus panis, & vini
» præsentia dubitavit. Cum autem ambigeret, di-
» ctu, & visu mirum! statim e Sanctissima, quam
„ manibus tenebat, Hostia Sanguis copiosissimus ma-
„ navit, & totam eam mappam, quam Corporale
„ vocant, tinxit. „

Negent modo Leodienses, si possunt, Urbanum IV. instituisse Festivitatem Corporis Christi motum a Miraculo Volsinii. Si enim Miraculum illud dedit ei *occasionem*, ut illam institueret, quomodo ipsam instituit non motus a Miraculo? Equidem non apparet.

Sed Bzovius ipse potestatem facit Leodiensibus negandi, Miraculum Volsinii movisse Urbanum IV. ad Festivitatem Corporis Christi instituendam, dum ipsum Summum Pontificem supponit jam præmotum ad illam ordinandam ab alio anteriori Miraculo Belgii, nempe a mirabili Revelatione S. Julianæ, his patentibus verbis. » Hoc Anno in Bel-
» gio mirum mirandum in admirando Eucharistiæ
» Sacramento accidit, propter quod postea Papa Ur-
» banus IV. Festivitatem Ssmi Corporis Christi ut
» in Diœcesi Leodiensi publicam esse juberet, mo-
» tus est. » (*Hist. Eccl. ad Annum* 1230, *num.* 16).

Nec obstant Leodiensibus ultima verba *: Ut in Diœcesi Leodiensi publicam esse juberet, motus est*; quasi Urbanus IV. motus fuisset a Revelatione, & ab Evæ instantiis ad Festivitatem instituendam peculiarem pro eorum Ecclesia, & non universalem pro Ecclesia universali. Non obstant, inquam, illa verba Leodiensibus; Licet enim Summus Pontifex Urbanus solemnitatem ordinasset universalem pro Ecclesia universali, relative ad revelationem S. Julianæ, & Evæ supplicationem; illam tamen non Ecclesia universalis, sed sola Leodiensis, statim ac ab universali Summo Pastore proposita fuit, devotissime suscepit, ut bene animadvertit prælaudatus Bzovius, dicens: ,, Verum quam-
,, quam Apostolica mandata omnibus Ecclesiis di-
,, recta fuissent super celebranda nova de Venera-

„ bili Sacramento Solemnitate ; non omnes tamen
„ Ecclesiæ statim illam celebrare cæperunt. Eccle-
„ sia sane Leodiensis cum primum Apostolica man-
„ data cum Bullis, Decretalibus, ac Officio hono-
„ rifice suscepisset, tamquam devota filia, mox
„ quam celerrime obedivit (*ibidem*). „

Ne igitur Bzovius Bzovium destruat, fateantur, necesse est, Volsinates, quod quando dicebat, Præsbyterum quemdam *occasionem* dedisse Urbano instituendi Festum Ssmi Sacramenti Altaris, *loquebatur cum ipsis in Tabula*: Quando vero asserebat, Urbanum fuisse motum a Revelationibus S. Julianæ ad Sacratissimi Corporis Christi universalem Solemnitatem ordinandam, ut supra vidimus, *loquebatur cum ipso Urbano in Constitutione*.

Quod autem hæc fuerit Bzovii genuina mens, apertissime constat ex ipsiusmet sequentibus verbis:
» Dominus vero Urbanus IV. volens præfatam de-
» liberationem ad effectum perducere, plures Decre-
» tales desuper confecit, & ad Præsules Ecclesiarum
» totius Orbis destinavit: & (Notent Volsinates)
» *recordatus* sanctæ, divinæque Revelationis, atque
» instantiarum Sanctarum Mulierum, de quibus Leo-
» dii multa viderat, & audierat; accersitis Clericis, qui
» tunc de Leodio ad Curiam venerant, didicit Do-
» minam Evam adhuc apud S. Martinum vivere,
» & cum magno desiderio super instituenda Solem-
» nitate Dominum continuis precibus exorare:
» Quapropter Dominus Apostolicus Dominæ Evæ præ-

» dulcem Epistolam misit, in qua suas preces ex-
» auditas esse declaravit. »

Nec diversimode loquuntur de Eva Bollandiani; ajunt enim: Vivebat dicta Eva adhuc Anno 1264. quando Bullam de Solemnitate Venerabilis Sacramenti instituta ei transmisit Urbanus IV. Papa (In Vita S. Julianæ 5. Aprilis). Non obstat igitur, sed favet Leodiensibus Bzovius.

Verum contra Leodienses desumit arma sua, tamquam Volsinatum Achilles, Onuphrius Panvinius, qui postquam Corporis Christi Solemnitatem ad Miraculum Volsinii eo modo, quo supra, retulit, sic Annotationem suam prosequitur: « Quamquam
» non me lateat quosdam esse, qui nescio quid de
» quadam Muliere Sanctimoniali Reclusa, nomine
» Eva, fabulantur. Quorum sententiam nihil mo-
» ror, cum quod supra dixi, vulgatissimum sit. »

Igitur (subinferam ego) si quæ dicuntur de Eva, sunt fabulæ, fabula quoque erit asserere, Urbanum IV. ordinasse Corporis Christi Festivitatem propter Revelationem S. Julianæ, cum omnia, quæ de Eva referuntur, Sanctæ Julianæ Revelationibus sint innixa.

Sed quadrat hic pro Leodiensibus responsio, quam huic objectioni Panvinianæ dedit Capeavillus in relato Tractatu de vera origine institutionis Festi Corporis Christi, postquam enim pro sua sententia stabilienda ea retulisset, quæ nos pariter adduximus, pro complemento conclusit. « Quæ omnia

» si legisset Onuphrius, fuisset cautior, nec dixis-
» set fabulas esse, quæ de Eva Reclusa describun-
» tur. Sed quid mirum, si Homo Panvinius vetu-
» stos manuscriptos Codices, qui hic in Belgio la-
» titant, & paucis etiam nostratibus noti sunt,
» ignorarit? Restat, ut sicuti nos Leodienses cete-
» ros Mortalium in celebratione hujus Festivitatis
» præcessimus; ita illam numquam intermittamus;
» sed, ut Patres Concilii Tridentini pie, ac sapien-
» ter admonent: *Gratos, & memores Animos te-*
„ *stemur erga Redemptorem pro tam ineffabili, &*
„ *plane divino Beneficio; & contra Hæresim trium-*
„ *phum agamus, ut ejus Adversarii in conspectu*
„ *tanti luminis debilitati, & fracti aliquando resipi-*
„ *scant* (Sess. 13. cap. 15.). »

Ast Panvinius in hac controversia, quando loquitur pro Volsinatibus, asserit, se vidisse, quod non vidit, nec videre quidem potuit; nempe Urbanum IV. posuisse in sua Constitutione, pro motivo ordinationis Solemnitatis, Miraculum, de quo nec verbum facit. Quando vero contra Leodienses invehit, dicit fuisse fabulam, tot illustribus monumentis roboratam Historiam: nempe Evam Reclusam petiisse, & obtinuisse ab Urbano IV. recensitæ Sacræ Solemnitatis Dominici Corporis universalem ordinationem: Non est igitur audiendus.

Allegant præterea Volsinates contra Leodienses duas auctoritates, quæ videntur eis plane ineluctabiles; unam Natalis Alexandri; aliam Emi Cardi-

nalis Petra. Et prima quidem his concipitur verbis: " Solemnitatem Ssmi Corporis Christi feria
„ quinta post Octavam Pentecostes, quotannis in
„ Ecclesia universali ritu solemni celebrandam in-
„ stituit (Urbanus IV.) Diplomate, quod incipit
„ *Transiturus*. Huic occasionem dedit tum Mira-
„ culum, quo Sacramentales Species in Sanguinem
„ versæ Corporale sub Hostiæ forma intinxere, cum
„ illud gutta vini consecrati negligentia Sacerdotis
„ esset effusa: tum Revelatio olim facta Sanctæ
„ Julianæ Leodiensi Virgini, secundum quam, præ-
„ vio gravissimorum Theologorum examine, & ap-
„ probatione, scilicet Jacobi Archidiaconi Leodien-
„ sis, postea Summi Pontificis ipsius Urbani IV.,
„ Leodiensis Ecclesia Sacram illam Festivitatem ce-
„ lebrandam susceperat.„ (*Hist. Eccl. Tom. 7. Sect.* 13., & 14. *art.* 6.)

Secunda vero sic „ Propriora autem motiva,
„ quæ ad ejusmodi celebritatem instituendam Sum-
„ mum Pontificem impulere, duo præsertim fuere. „
Unum refertur a D. Antonino (3. *part. tit.* 19. *Cap.* 13. §. 1.) his verbis „ *Tunc cum Curia re-*
„ *sidebat Urbanus in Urbe-Veteri, ubi in loco*
„ *non multum distanti apud Bulsenam, in qua-*
„ *dam Ecclesia, Sacerdote celebrante, Miracu-*
„ *lum factum est ex ipso Sacramento: Nam cum*
„ *post consecrationem Sacramenti gutta aliqua*
„ *Sanguinis ex Calice profluxisset in Corporale,*
„ *Sacerdos ad occultandum defectum sue negli-*

„ *gentiæ, cooperuit partem Corporalis, pluribus*
„ *plicis hoc faciens; sed reperta est per omnes il-*
„ *las plicas transisse, & reliquisse ibi rubeam ad-*
„ *modum sanguinis formam Hostiæ in pluribus*
„ *partibus Corporalis*. Alterum motivum exhibuit
„ Revelatio institutionis ejusdem Festi quibusdam
„ Religiosis Personis facta, quod etiam indicat
„ Pontifex in præsenti, ibi: *Intelleximus*: Certe
„ id prius revelaverat Deus S. Julianæ Virgini Leo-
„ diensi Cisterciensis Ordinis: inde Juliana nonnul-
„ lis Piis, ac Religiosis Viris hæc detexit, præser-
„ tim Roberto Episcopo Leodiensi, & Jacobo ejus-
„ dem Ecclesiæ Archidiacono, qui postea fuit Ur-
„ banus IV. „

Miraculum igitur Volsinii ex istis Auctoribus fuit unum ex motivis, quibus motus fuit Urbanus ad Sacram Dominici Corporis Solemnitatem instituendam. Non fuit ergo sola Revelatio.

Quis autem credet auditui nostro? Volsinates, qui mordicus negabant Leodiensibus infimum illum honorem, nempe institutionem Festivitatis Corporis Christi in eorum Nationali Ecclesia, modo vocant eos in partem honoris maximi, institutionis videlicet ejusdem pro Ecclesia universali. Quis, inquam, credet auditui nostro? Nemo profecto, nisi veritas hæc fundata esset supra firmam Petram.

Verumtamen Leodienses honorem hunc partialem rejiciunt; totus enim ipsis jure debetur, quia prima, & universalis Promotrix augustæ Solemni-

tatis Cisterciensis Juliana eorum semper gloriosa Concivis alios a Leodiensibus, apud Urbanum IV., ad eam promovendam Socios non admisit. Hoc probant pro ipsis allatæ contra ipsos auctoritates; neque divisio illa motivorum subsistere potest. Nam

Contra ipsam stat Regula illa Juris: *A verbis Legis non est recedendum* (Apud Thom. Thomasettum Reg. 5). Cum igitur S. Antoninus ingenue fateatur, se vidisse, & legisse Constitutionem *Transiturus*, quæ in præsenti Controversia habet vim Legis (ibi), *Componens pulcherrimam, & devotissimam Epistolam in commendationem Venerabilis Sacramenti, quæ incipit: Transiturus*. Cumque ex Emi Commentatoris sano judicio in ipsa detur una tantum causa, sive motivum prælaudatæ Sacræ Institutionis, nempe *Revelatio*, quomodo poterat D. Antoninus aliam quærere, & firmare extra ipsam?

Reponent quidem Volsinates, quod prælaudati, & omni eruditione præditi Auctores optime callebant, Regulam illam procedere, nisi constet, Legislatorem aliter voluisse; juxta Regulam aliam, qua dicitur: *Potior est Mens dicentis, quam Vox* (apud eumdem ibid.) & sic non minus optime diviserunt Sacræ Institutionis motiva.

Sed quis Urbani IV. sensum cognovit? aut quis consiliarius ejus fuit, ut Mentem ejus sciret? An D. Antoninus? Ast quomodo evenire id potuit, si Sanctus ille Archiepiscopus duobus fere Sæculis

post Urbani IV. Pontificatum Historiam suam scribebat; ab Anno nimirum 1264, quo Urbanus e vivis discesserat, ad Annum 1446, quo Sanctus Antoninus ab Eugenio IV. ad Archiepiscopalem Florentiæ Sedem evectus fuit? Non potuit ergo D. Antoninus scire mentem Urbani, neque vocem audire; adeoque nec scribere Urbanum vel cogitasse, vel dixisse ab eo diversum, quod in Constitutione scripserat; hoc est, se instituisse Solemnitatem Corporis Christi propter Miraculum, postquam in Constitutione scripserat, se illam instituisse propter *Revelationem*. Nec Volsinenses possunt aliter sentire, nisi velint, Urbanum IV. e cælesti Cathedra sic Sancto Ambrosio consulente apud sententiarum Magistrum, contra eos loqui: „ Cujus ergo muta„ bilitatis sunt Homines hujusmodi, ut nos dicant „ ea usurpare, quæ non sunt scripta? Cum ea, quæ „ sunt scripta dicamus, & ipsi objiciunt, quod scri„ ptum non sit. „ (*Magist. Sent. lib.* 1. *dist.* 28. *lit. D.* Divisio ergo motivorum non subsistit).

Hinc ad objectionem ex recensitis duabus Auctoritatibus petitam funditus evertendam, animadvertere satis erit, eruditos Auctores tractasse præsentem materiam *incidenter* tantum; quatenus videlicet primus Sæculum Urbani, & secundus Urbani Constitutionem exponere voluit, & intendit. Ceterum si quæstionem nostram ex proposito resolvendam assumpsissent, utrum nimirum solemnitas Christi Corporis instituta fuerit ab Urbano IV.

propter Miraculum Volsinii, nec ne? ad nostram sine ulla dubitatione sententiam flexissent, & negative respondendum esse firmassent, ea potissimum ratione moti, quam ipsi præ ceteris omnibus nobiscum animadverterunt, quod in Constitutione Urbani exprimitur quidem pro institutionis causa Revelatio; Miraculi vero Volsinii nulla fit mentio.

Neque vero parvi momenti existimanda est hæc ratio, aut spernenda veluti noviter adinventa. Nam Christianus Lupus, ut faveret opinioni neganti, Urbanum IV. una cum Solemnitate instituisse etiam Processionem Corporis Christi, eadem usus est; nempe, quia nec Urbanus in Constitutione, nec D. Thomas in Officio ullum Processionis verbum fecerunt. „ Et certe (sunt ejus verba) in Diplomate, quo „ Urbanus Festivitatem instituit, nulla fit Proces- „ sionis mentio. Etiam S. Thomas in Canonico Of- „ ficio, quod ex Urbani jussu composuit, omnia „ Festivitatem, ac ejus institutionem concernentia „ distincte digessit; ac de Processione penitus tacuit: (loco sup. cit.) „ Ita sane adducti contra Leodienses Auctores, non solum novissimi, sed etiam primi, scripsissent, si Controversiam nostram speciali calamo tractassent. Inspecta enim serius Urbani Constitutione, non Miraculum, sed Sanctæ Julianæ Revelationem pro motivo institutionis Solemnitatis Dominici Corporis resolutive dedissent.

Urgent adhuc Volsinates contra Leodienses cum Tridentino. Dicit enim Sacra illa Synodus » Ve-

„ ritatem , & disciplinam Ecclesiasticam contineri
„ in Libris scriptis , & sine scripto Traditionibus . „
Cum igitur Traditio nihil aliud sit, quam notitia alicujus veritatis, quæ a Patribus datur filiis, sive a Majoribus inferioribus, juxta illud Deuteronomii: *Interroga Patrem tuum , & annuntiabit tibi, Majores tuos, & dicent tibi* (Cap. 7. 7.) . Et cum a temporibus Urbani IV. ad hæc usque nostra vulgatissimum sit (ajebat Panvinius) Verbum hoc, nempe Urbanum IV. instituisse Solemnitatem Corporis Christi, motum a Miraculo Volsinii; velint, nolint Leodienses, fateantur necesse est, vel fuisse scriptum, vel fuisse traditum: negant fuisse scriptum, ut hactenus ex Constitutione *Transiturus*, & ex Officio D. Thomæ contendebant; ergo debent concedere, fuisse traditum, illudque ex ore Urbani quasi per manus pervenisse usque ad D. Antoninum, Panvinium, & alios recensitos scriptores; adeoque ipsis credendum.

Sed contra est id, quod dicit Angelus de Nuce (in Notis ad Chronicas Sacri Cassinensis Monasterii) „ Errores quoque, & vulgaris phantasiæ i-
„ nepta commenta per manus traduntur . Et o uti-
„ nam nugaces hujusmodi traditiones non altas quan-
„ doque radices apud credulos egissent! quibus e-
„ vellendis Eruditorum Ligones irrito pene cona-
„ tu insudaverint . Vexat nos, & præcipitat tradi-
„ tus per manus Error, alienisque non raro inepti-
„ mus ineptiis . Luciæ Siracusanæ oculos erutos nul-

„ la prodit Historia, quæ pondus habeat; & nihi-
„ lo minus per manus traduntur. Simile quid ac-
„ cidit in D. Christophoro, in Septem Dormien-
„ tibus, aliisque admirandis narrationibus, quas
„ propterea prudentissima Ecclesiæ censura e pu-
„ blicis Officiis proscripsit (Lib. 4. 1815). „ Traditiones igitur de ordinata Solemnitate Corporis Christi ab Urbano IV. propter Miraculum Volsinii, sunt ineptiæ, quia nec Urbanus, nec D. Thomas, qui de ordinatione illa Historiam magni ponderis condiderunt (Primus in sua Constitutione; Secundus in suo Officio) nullam de Miraculo mentionem fecerunt.

Præterquam quod Volsinatibus magis, quam Leodiensibus incumbit onus solvendi argumentum ex Traditionibus petitum. Etenim si Traditionibus standum esset, Leodienses, nedum institutionem Solemnitatis Corporis Christi propter Miraculum; verum etiam Miraculum ipsum Volsinatibus possent in dubium revocare.

Et quoad institutionem, probare possent cum Alphonso Vigliegas (in Vitis Sanctorum) eam fuisse ordinatam ab Urbano propter Miraculum particularum in Sanguinem versarum, jam supra relatum, in Regnis Hispaniarum, Italicis hisce verbis:
„ Il costume, e ordinazione di celebrarsi la Festa
„ del Ssmo Sacramento il Giovedì dopo alla Dome-
„ nica, nella quale si celebra la Festa della Ssma
„ Trinità, fu istituito da Papa Urbano Quarto, il

„ quale tenne il Sommo Pontificato l'Anno del Si-
„ gnore 1264. Quegli, che hanno scritte le Isto-
„ rie di Spagna, dicono, che il Pontefice sopradet-
„ to si mosse a far questa ordinazione per un ca-
„ so miracoloso, che avvenne al suo tempo in I-
„ spagna, il quale fu questo: Essendo alcuni Ca-
„ pitani Spagnuoli per fare una giornata con i Mo-
„ ri nel Regno di Valenza, innanzi che andasse-
„ ro alla battaglia, vollero communicarsi, come
„ buoni Cristiani. Fecero dire la Messa la mattina
„ a buon ora sopra un Monte. Quegli, che si do-
„ veano communicare, erano sei Capitani. Essen-
„ do già quasi finita la Messa, e non si essendo an-
„ cora communicati; i Mori gli sopragiunsero ad-
„ dosso all'improviso, per il che essi furono forza-
„ ti di lasciare stare la Communione, e andare a
„ mettere in ordinanza le Genti loro. Vennero a
„ battaglia con i Mori, ed ebbero Vittoria. Mentre
„ che si combatteva, il Sacerdote raccolse le sei
„ Ostie consacrate nel Corporale, e le nascose fra
„ certe pietre. Essendo poi finita la battaglia, an-
„ dò per il Corporale, e ritrovò, che le Ostie vi
„ si erano attaccate, ed erano rosse, e di color di
„ Sangue. Questi sono i Corporali della Città di
„ Daroga in Aragona tanto nominati per tutta Spa-
„ gna. Fu dato avviso di questo Miracolo a Papa
„ Urbano, il che gli fu come uno svegliatore, per
„ fare, che Egli comandasse, che si celebrasse la
„ Festa del Corpo di Cristo il giorno, nel quale

„ al presente si celebra. (*Cap. 52 in Vita Chri-*
„ *sti*).

Hoc idem refert Granata, ut sequitur „ Hoc
„ igitur modo illa Corporalia Darocæ permanserunt;
„ eo Reges, & Principes convenerunt, & alii pri-
» marii Viri, ut illud Miraculum viderent, & ado-
» rarent Deum, qui in illis Corporalibus est. Inde
» Legati ad Urbanum Papam IV., ut eum hac de
» re certiorem facerent, iverunt. (*De præstantia*
» *Christo Religion. lib. 2.*) »

Quo vero ad Miraculum demonstrare possent cum eodem Vigliega, patratum fuisse, non Volsinii, sed Viterbii, istis patentibus terminis « *Ma-*
» *ralo dice, che l' occasione di far celebrar que-*
» *sta Festa*, avvenne nella Città di Viterbo, *dove*
» *un Sacerdote celebrando la Messa, quando ven-*
„ *ne a partir l' Ostia consagrata, cominciò a du-*
» *bitare, se in essa era veramente, e realmente*
„ *il Corpo di Cristo; e stando il Sacerdote in*
„ *questo dubbio, l' Ostia incominciò a stillar San-*
„ *gue, che cadde in abbondanza sopra il Corpo-*
„ *rale*: Papa Urbano era allora in Viterbo, e aven-
„ do veduto questo stupendo Miràcolo, fu càusa,
„ che ordinò questa Festa. (*ibid.*)

Dicant modo Volsinates, sunt ne veræ relationes istæ? Certe quod non apud ipsos. Sed quare? Non alia profecto ratione, nisi quia ex Volsinii Tabula aliter constat.

Sed quid, si Leodienses reponerent, eas rela-

tiones prodiisse ex ore Urbani IV., adeoque tamquam Traditiones esse recipiendas, utpote ab eodem Summo Pontifice usque ad Alphonsum Vigliegas, Aloysium Granata, aliosque Scriptores, tamquam per manus, transmissas? Atque eo potiori jure, quia apud Laertium Cherubinum legitur, Urbanum IV. evectum fuisse ad Summi Pontificatus apicem in Civitate Viterbii Anno Domini 1261, Die 29. Augusti, ibique mansisse usque ad 22. Aprilis sequentis Anni 1262., ut patet in Literis Canonizationis Sancti Riccardi Episcopi Cicestren. in Anglia sub Datum Viterbii 10. Kalendas Martii. (*Bullar. Tom.* 1. *Const.* 2.)

Quid igitur? suntne inquam, veræ, an falsæ istæ Leodiensium Traditiones? Si veræ, actum est de institutione propter Miraculum, & de Miraculo ipso in Civitate Volsinii. Si falsæ ea ratione, quia aliter scriptum est in eorum Tabula; quare falsissimæ non erunt Traditiones Volsinensium potissimum, quia aliter scriptum est in Constitutione Urbani?

Nec suffragari poterit Volsinatibus instantia, quam deducere possent ex illis Vigliegæ verbis: » Papa Urbano era allora in Viterbo, ed avendo » veduto questo stupendo Miracolo, fu causa, che » ordinò questa Solennità. » Unde sic urgeant: Leodienses laudant relationem Vigliegæ de institutione Solemnitatis Corporis Christi; sed Vigliegas pro causa institutionis illius assignat Miraculum

Viterbii; ergo non Revelatio, sed Miraculum movit Urbanum ad eam ordinandam.

Non, inquam, Volsinatibus proderit hæc instantia. Namque Leodienses non laudant relationem Vigliegæ; sed eam tantummodo Volsinatibus proponunt per modum Dilemmatis, ita ut ipsam aut probare debeant, aut improbare. Si probant, destruunt eorum Tabulam, in qua legitur, Miraculum accidisse in Ecclesia S. Christinæ Volsinii, dum Urbanus IV. Urbem Veterem incolebat; & quod, eo audito, Corporis Christi Solemnitatem instituit: cum Vigliegas referat, Miraculum accidisse in Civitate Viterbii, dum Urbanus ipse eam tenebat; & quod Solemnitatem, non audito, sed viso Miraculo, ordinavit. Si vero improbant, destruunt argumentum de potentia Traditionis eductum; etenim numquam poterunt potiorem aliquam rationem assignare, cur de ore Urbani exierint aliorum Auctorum verba, potius quam Vigliegæ.

Militat autem pro Volsinatibus contra Leodienses circumstantia temporis. Omnes enim Auctores, etiam qui Leodiensibus favent, fatentur, Urbanum IV. instituisse Dominici Corporis Festivitatem eo tempore, quo evenit Miraculum: instituit ergo, inquiunt, motus a Miraculo. Verum opponitur eis Augustissimi Eucharistiæ Sacramenti institutio. Hoc enim Sacramentum a Christo Domino fuit institutum ea *nocte, qua tradebatur*; & tamen nemo adhuc dixit, causam institutionis illius fuisse

Judæ proditionem ; sed vel *memoriam suorum mirabilium*, ut David (*Psal.* 110) ; vel sui Amoris vim erga nos, ut Concilium Tridentinum aureis illis verbis » Ergo Salvator noster discessurus » ex hoc Mundo ad Patrem Sacramentum hoc in» stituit, in quo divitias sui erga homines Amo» ris velut effudit. (*Sess.* 13. *cap.* 2.) » Sic licet Urbanus Solemnitatem Corporis Christi ordinaverit eo tempore, quo Miraculum evenit; nemo tamen rationabiliter poterit judicare, eum a Miraculo motum illam ordinasse: sed vel propter vehementiam Amoris sui erga Augustissimum Sacramentum, ut ex Officio D. Thomæ manifestissime evincitur (*loco sup. cit.*), vel ob memoriam, quam adhuc conservabat, Revelationum, ut abunde patet ex sua Constitutione, & ex Responsione ad Evam.

Quod, ut tria, quæ proposuimus demonstranda, in unum colligeret, & nobiscum demonstraret Cæsar Franciotti in suis Observationibus Sacrorum Mysteriorum totius Anni, clarissime confirmavit italicis hisce verbis, quæ (longiuscula licet) audire non pigeat „ Intorno a questo sì solenne Mi„ stero (sic ille), nota, Pio Lettore, tre cose: „ Prima, la origine della Solennità, e sua Pro„ cessione; poi i Nomi, con i quali è stato no„ minato il SSmo Sagramento; e ultimamente il „ modo, ed uso di riceverlo, così antico, come „ moderno. — Questa Solennità da principio si ce„ lebrava solamente nella Chiesa Collegiata di S.

„ Martino nella Città di Liegi posta nella Belgia,
„ poco prima, che Urbano Quarto fosse assunto
„ al Pontificato, che fu l' Anno 1260. perciocchè
„ ad una Vergine detta Giuliana, che fu superio-
„ ra delle Monache Cisterciensi fuori della Città
„ di Liegi (Vergine di gran nome, che poi fu se-
„ polta, ed onorata come Santa) *fu rivelato*
„ *dal Signore più volte* (l' Anno 1230. in cir-
„ ca) che si adoperasse con ogni studio, accioc-
„ chè si celebrasse in un giorno particolare la Fe-
„ sta del Ssmo Sagramento. Ella dopo essersene
„ molte volte tirata indietro per umiltà, e con
„ tutto l' animo per lo spazio di venti Anni aven-
„ do fatto orazione, che Dio movesse altra Perso-
„ na per questo effetto, in fine aprì, e manifestò
„ il tutto ad un Canonico di S. Martino di Liegi,
„ detto Giovanni Laosanna, Uomo di santa Vita,
„ il quale, accettata la volontà di Lei, ne fece
„ parte all' Archidiacono del Duomo, detto Giaco-
„ mo de Trecis, che poi fu assunto al Pontificato,
„ e chiamato Urbano Quarto. Or questi conferen-
„ do il tutto con Teologi, Predicatori, ed altri,
„ conclusero, che per giustissime ragioni giudica-
„ vano, non doversi posporre la detta Solennità:
„ onde *per molti Anni si celebrò nella Chiesa di*
„ *S. Martino di Liegi*, interponendovisi l' autori-
„ tà del Vescovo di Liegi, e la persuasione del
„ Cardinal Ugone dell' Ordine di S. Domenico; ed
„ era ancora l' offizio composto da un devoto Sa-

„ cerdote, ed approvato da Superiori sopradetti.
„ In questo tempo, vivente Papa Urbano, che di
„ tutto era informato accadè per volontà, e per-
„ missione di Dio quel Miracolo vicino ad Orvie-
„ to, quando un Sacerdote celebrando con qualche
„ dubbio del Ssmo Sagramento, vide l'Ostia con-
„ vertita in forma di una Pietà: nè potendosi un
„ tal Miracolo nascondere al Popolo, per molto
„ che Egli in ciò si adoperasse, pervenne la fa-
„ ma agli orecchj del Papa, che ivi si trovava
„ colla Corte: della qual cosa molto maravigliato-
„ si, *essendo nella sua memoria assai bene*
„ *impresso, quanto era accaduto in Liegi;* col
„ consiglio, e consenso de' Cardinali diede ordi-
„ ne, che universalmente per tutta la Chiesa
„ Cristiana una volta l'Anno, nel Giovedì, che
„ siegue dopo la Domenica della Ottava della Pen-
„ tecoste, si celebrasse la Festa del Ssmo Sagramen-
„ to, concedendo Indulgenza a quegli, che pre-
„ senti fossero al divin Officio in tal giorno, e per
„ tutta l'Ottava sua: e questa fu la occasione, per
„ la quale S. Tommaso di Aquino mosso dalla ubbi-
„ dienza impostagli dal Papa, compose l'Offizio di
„ tal Solennità, che fu non solo dal Signore mi-
„ racolosamente approvato, ma dalla Sede Apo-
„ stolica, e sparso per ordine di Essa in tutto il
„ Mondo, come anche oggi si vede. Tutto que-
„ sto apparisce chiaramente nella Bolla di detto
„ Pontefice data sopra tal Solennità, che comin-

„ cia — *Transiturus de hoc Mundo &c.;* nella quale
„ fa ancora menzione di quello, che fu alla sopra-
„ detta Sagra Vergine rivelato da Dio, quando E-
„ gli era in più basso stato. Successe poi nel Pon-
„ tificato Giovanni XXII. nell' Anno del Signore
„ 1315. e rinovando la sopradetta Costituzione di
„ Urbano Quarto già inserita nelle Clementine da
„ Clemente V. (De Reliq. & Venerat. Sancto-
„ rum) diede nuove Indulgenze per questa So-
„ lennità, ed aggiunse, che si facesse la Pro-
„ cessione solenne, che sino al presente costuma
„ di farsi, approvata poi, e confermata dal Conci-
„ lio di Trento (*Sess.* 12. *cap.* 5.). „ Ita prælaudatus Auctor P. 5. Observatione circa Diem Solemnem Corporis Domini.

Quid clarius, aut quid luculentius dici poterat, ut concludamus, Miraculum Volsinii non movisse Urbanum IV. ad Sacram, Augustissimamquæ Dominici Corporis Solemnitatem in universali Ecclesia ordinandam, licet & tempore, quo miraculum evenit, ordinaverit?

Hanc tamen Conclusionem expressius etiam docuit memoratus Andreas Pennatius in laudata sua Historia, dum causas assignabat, quæ duxerant Urbanum IV. ad sacram Corporis Christi Solemnitatem instituendam, præclarissimis hisce verbis „ In
„ questa Bolla (*Transiturus*) adunque Urbano IV.
„ esprime cinque cause, che *l'indussero* ad isti-
„ tuire questa Festa nella Chiesa universale: La

„ prima è, per confondere ed abbattere specialmente la perfidia, e pazzia degli Eretici, che sono insorti ad istigazione di Satana contro il SSmo Sagramento: La seconda è, perchè la Chiesa, « la quale celebra l' istituzione di questo Sagramento nel Giovedì Santo, è tutta occupata nella conversione de' Penitenti, nella Consagrazione de' suoi Ogli, nell' adempimento del Mandato circa l' abluzione de' piedi, ed in molte altre sagre funzioni; onde non puole in quel giorno celebrar questa Solennità con quella maestà, e pompa dovuta ad un tanto Sagramento; e però conviene instituire un altro giorno speciale, nel quale si possa tutto ben compire: La terza è perchè la « S. Chiesa pratica questo costume intorno i Santi, de' quali benchè si faccia memoria nelle Litanie, negli uffizj, ed in altre occorrenze, nulladimeno celebra le loro feste in giorno speciale: e perchè in queste feste particolari puol difettarsi nel dovuto culto, o per negligenza, o per le occupazioni domestiche, o per umana fragilità; rettamente ha comandato S. Chiesa, che si celebri una Solennità commune in onore di tutti i Santi, acciò in essa risarciamo i nostri mancamenti. Or se questo si pratica co' Santi; quanto maggiormente deve praticarsi col Divinissimo Sagramento del Corpo, e Sangue di N. S. Gesù Cristo, il quale è l' Autore, la Gloria, e la corona di tutti i Santi? Conviene adunque certis-

» simamente, ed è sommamente necessario, che
„ risplenda il Divinissimo Sagramento con una Fe-
» sta, e Solennità specialissima, nella quale sup-
» pliamo a tutte le nostre mancanze commesse nel-
» le Messe, e nelli divini Uffizj in tutto il corso
» dell'Anno: La quarta è perchè Urbano IV.;
» quando ritrovavasi in Liege, udì, e seppe mol-
« to bene (*notentur hæc verba*) ed esaminò con
» altri Teologi la Rivelazione fatta da Iddio alla
« sua dilettissima Vergine B. Giuliana, cioè che
» nella sua Chiesa dovea istituirsi questa Festa,
» come narrammo nelli Capitoli scorsi; onde subli-
» mato ad essere suo Vicario in terra, volle san-
« tissimamente eseguire la sua volontà divina: La
„ quinta, e ultima causa accennata dal suddetto Som-
» mo Pontefice, è per la corroborazione, ed esal-
» tazione della Santa Cattolica Fede, assegnando
» per celebrare questa Solennità specialissima la
„ Feria quinta, o Giovedì seguente all' ottava del-
» la Pentecoste, comandando a tutti i Prelati, e
» Superiori delle Chiese, che nella Domenica pre-
„ cedente annunziino alli Popoli questa Solennità,
„ e li esortino a ben prepararsi, per santamente
„ celebrarla. Questi, ed altri motivi adduce S. Tom-
„ maso nelle lezioni dell' uffizio da lui composto,
„ i quali sono da noi addotti nel quarto Libro, cap.
„ 2. parlando degli Autori, che hanno fatto me-
„ moria dell' Instituzione di questa Solennità, e
„ del Santissimo Miracolo (*lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 2.).

Auctori huic, qui ex professo hanc materiam tractat, non est cur totam eorum Fidem non præbeant Volsinates. Igitur cum ipse inter Causas, quæ Urbanum IV. induxerant ad Festivitatem Corporis Christi per totum Orbem ordinandam, referat Revelationem S. Julianæ factam; non autem Miraculum Hostiæ, Volsinii a Deo patratum; optime concluserunt Leodienses, institutionem controversam Revelationi, non Miraculo esse tribuendam.

Verum contra hanc Leodiensium ultimam aggressionem duplici conatu se opponunt Volsinates, & quidem ex eodem Pennatio utrumque desumunt; inquiunt enim primo.

Pennatius (loco ubi supra) postquam quinque causas relatas numeravit, en quomodo de Miraculo loquitur: „ E' cosa certissima, che Urbano „ IV. nell' istituire questa Solennità ebbe per mo„ tivo rilevantissimo il S. Miracolo successo in Bol„ sena; ed oltre la ragione, che convince, sono „ gravissimi Autori, che l' hanno affermato, come „ S. Antonino, il Panvinio, il Ciaccone, Marcon„ zio, e molti altri riportati nel Libro quar„ to cap. 6. num. 3. „ (*Cap.* 5. *num.* 3. *Lib.* 3.).

Sed contra hunc primum conatum opponunt Leodienses verba illa vere ineluctabilia ejusdem Pennatii. „ In questa Bolla adunque Urbano IV. e„ sprime cinque Cause, che l' indussero ad istitui„ re questa Festa nella Chiesa universale. „ Pennatius igitur ex verbis istis ingenue protestatur,

desumpsisse relatas a se Causas ex Bulla Urbani IV., & utique ex Bulla *Transiturus*; ergo velint, nolint, fateri debent Volsinates cum ipso Pennatio, Revelationem inter illas Causas relatam, fuisse veram Causam, ex qua Urbanus IV. motum sumpsit pro Solemnitate instituenda; eo vel maxime, quia veritatem, quam docet, hausit ab ipso Urbano institutore, factum, non aliter ac evenit, in sua Constitutione testante, & asserente.

Nec Auctores a Pennatio citati, contra veritatem ab ipso cognitam, & in medio allatam, facere fucum possunt. Ipsi enim non loquuntur ut historici, monumentum aliquod pro eorum opinione vallanda producentes, ut optime fecit Pennatius; sed loquuntur more Poetarum, nempe ex quadam verisimilitudine, sic enim fere argumentantur: Urbanus IV. instituit Corporis Christi Solemnitatem ea tempestate, qua evenit Miraculum Hostiæ prope Volsinium: ergo verisimile est illam instituisse motus a Miraculo. Sed argumentum hujusmodi Poeticum est: Nihil ergo concludit.

Aliud enimvero est, factum aliquod fieri in tali circumstantia; aliud fieri propter talem circumstantiam. Nam fieri in tali circumstantia potest non esse de ratione facti; posset enim factum fieri in alia. Ast fieri propter talem circumstantiam non potest non esse de ratione facti, quia nisi poneretur circumstantia, factum non resultaret. Res patet exemplo.

Nativitas Christi in Bethleem Judæ duas habuit Circumstantias. Prima fuit Revelatio facta Prophetæ dicenti „ Et tu Bethleem Terra Judæ nequaquam minima es in principibus Juda; ex te „ enim exiet Dux, qui regat Populum meum I„ srael.„ (*Matth.* 2.) Secunda fuit orbis descriptio indicta a Cæsare Augusto, dicente Luca „ Fa„ ctum est autem in diebus illis: exiit Edictum a „ Cæsare Augusto, ut describeretur universus Or„ bis &c. Ascendit autem & Joseph a Galilæa de „ Civitate Nazareth in Judæam in Civitatem Da„ vid, quæ vocatur Bethleem, eo quod esset de „ Domo, & Familia David, ut profiteretur cum „ Maria desponsata sibi Uxore prægnante. Factum „ est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut „ pareret, & peperit filium suum Primogenitum „ (*cap.* 2.).

His prælibatis, dicant Volsinates quænam ex duabus recensitis Circumstantiis fuerit Causa Nativitatis Christi in Bethleem? prima, an secunda, descriptio videlicet, an Revelatio? Equidem non prima, quia Orbis descriptio ad Nativitatem nullatenus pertinebat; poterat enim Orbis describi absque eo quod Christus nasceretur: ut de facto evenit quando prima Orbis descriptio facta fuit a Præside Syriæ Cyrino (*Lucæ* 2.). Fuit igitur secunda, quia divina Revelatio, sive Prophetia, ita ad Christi Nativitatem pertinebat, ut Christus, nisi in Civitate David, nempe Bethleem, nasci non potuisset.

Ita fere accidit in casu nostro. Institutio nempe Solemnitatis Corporis Domini duas habuit Circumstantias. Prima fuit Revelatio S. Julianæ divinitus facta; secunda Miraculum divinitus operatum. Cum igitur, attenta infallibilitate Dei revelantis, institutio illa Solemnitatis infallibiliter sequi debuisset, etiamsi Miraculum non fuisset operatum, & e converso cum operatio Miraculi per se Festivitatis institutionem non exigeret, ut de facto innumera ejusdem generis Miracula ante S. Julianæ & Urbani IV. tempora a Deo patrata, non exegerunt; luce meridiana clarius patet, quod sicut Descriptio Orbis non fuit Causa Nativitatis Christi in Bethleem, sed Prophetia; ita Institutionis ejusdem Christi Corporis Solemnitatis, non operatio Miraculi, sed Revelatio S. Julianæ Causa fuit.

Sed instant secundo Volsinates, & utique instantia, ut ipsi putant, ineluctabili desumpta ex ipsomet Pennatio sequentibus verbis: „ Da tutto il „ narrato in questo Capitolo chiaramente si cono„ sce, che Iddio cominciò a rivelare quella Festa „ alla Beata Giuliana nel 1208. Onde il mo„ tivo principalissimo di Urbano IV. nell' isti„ tuire nella Chiesa universale la Solennità del „ Corpo di Cristo, fu questa Rivelazione della „ B. Giuliana, qual motivo noi chiamiamo *remoto* „ perchè avvenne cinquantasei Anni avanti alla „ data della Bolla institutiva, prima che fosse as„ sunto al Pontificato, quando Egli era Archidia-

„ cono di Liegi . „ (*Lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 9.). Ex Pennatio igitur Revelatio fuit causa remota institutionis Solemnitatis Corporis Christi; ergo Miraculum fuit Causa proxima. Sed quilibet effectus tribuitur Causæ proximæ, ut patet in generatione hominis, quæ licet, ex Aristotele, causetur a Sole, & ab homine; quia tamen Sol concurrit remote, homo vero proxime, non soli, sed homini tribuitur; ita pariter, quamvis utrumque prodigium, Revelatio nempe, & Miraculum motum dederint Urbano IV., ut Augustam Festivitatem institueret, motus ille Miraculo, utpote *Causæ proximæ;* non Revelationi, utpote *remotæ* totus tribuendus est.

Respondent autem Leodienses primo negando suppositum Pennatianum. Supponit enim Pennatius, quod Revelatio, quam Jesus Christus fecit S. Julianæ, moverit Urbanum IV., ut immediate a Jesu Christo emanans, ad Sacram Festivitatem ordinandam, ideoque ponit inter Revelationem, & Institutionem spatium quinquaginta sex Annorum; sed falsum supponit. Urbanus enim IV., non sumpsit motivum instituendæ Solemnitatis ab immediata Revelatione Christi, quia hæc spatio viginti Annorum nulli hominum, nisi S. Julianæ cognita fuit, ut ipsemet Pennatius ultro fatetur illis verbis: „ Gran stupore invero, che questa dolce con-
„ tesa tra Gesù Cristo, e la sua Sposa diletta Giu-
„ liana durasse per lo spazio di venti Anni „ (*Lib.* 3. *Cap.* 3. *n.* 4.); Sed a publicatione Revelatio-

nis, quam S. Juliana fecit Joanni S. Martini Leodiensis Canonico Laosanna Anno 1230, & a communicatione ejusdem Revelationis, quam Canonicus idem fecit ipsi Urbano IV; dum in minoribus constitutus ejusdem Leodiensis Ecclesiæ Archidiaconatus Officio fungeretur, sub nomine Jacobi de Troyes, ut Pennatius ipse erudite tradit, dicens: „
„ Proseguendo adunque la nostra Beata Giuliana le
„ sue ardentissime Orazioni con lagrime incessanti,
„ sino a spargerle di sangue; vedendo, che non
„ potea resistere all' impero, e comando del suo
„ divino Sposo; essendo poi stata eletta Priora nel
„ 1230., incominciò a communicare la Visione e
„ Rivelazione, in primo luogo a Giovanni di Laosan-
„ na Canonico della Chiesa di S. Martino di Lie-
„ ge (*Lib.* 3 *cap.* 3. *num.* 5.). Et paulo post.
„ Il predetto Giovanni Canonico conferì tutto a
„ Giacomo di Troyes, che fu poi il nostro Urba-
„ no IV, in quel tempo Archidiacono di Liegi,
„ illustre per la Santità della Vita, e per i splen-
„ dori della Dottrina (*ibid.* *num.* 6.). „

Patet igitur falsa suppositio Penatii. Nam Urbanus IV. non a Christo; sed a S. Juliana rescivit Revelationis secretum. Ergo non ab Anno 1208. sed ab Anno 1230. Ergo non Annis quinquaginta sex; sed tantum triginta quatuor ante Solemnitatis ordinationem, juxta præsentem Cronologiam.

Verum dilatantur anacronismi. Dixerat Pennatius, Revelationem eamdem eodem tempore fuis-

se communicatam Hugoni a S. Caro (*ibi*) „ Furono altresì tutte le cose predette communicate „ a quel grand' Uomo, splendore della S. Religione Domenicana Ugone di S. Caro, altre volte di S. Teodoro ec. (*eodem Lib.* 3. *cap.* 3. *num.* „ 6) Deinde post varia „ Alli 29. Decembre 1252. „ il Cardinale Ugone di S. Caro, Legato Apostolico „ approva l' istituzione, e l' Offizio nuovo della Solennità del Corpo di Cristo, ed ordina con una „ sua Lettera circolare per tutta la sua Legazione „ dell' Alemagna, che si celebri. Egli medesimo „ celebrò la Solennità nella Chiesa di S. Martino „ nel Monte, e la celebrarono ancora i Canonici „ della Cattedrale di Liegi. „ (*Lib.* 4. *Cap.* 7. 1252.)

Igitur Urbanus IV. Anno 1252. iterum audivit sermonem de Revelatione, propter quam Ugo Cardinalis approbavit institutionem peculiaris Festivitatis Corporis Christi pro tota Legationis suæ latitudine, eamdemque celebravit una cum ipso Legato, & Canonicis Catedralis Leodiensis: ut evidenter constat ex ipsiusmet Pennatii relatione gestorum ejusdem Urbani, ubi docet, ipsum mansisse in sua residentia Leodiensi usque ad Annum 1252 (*ibi*) „ Poi passò all' Archidiaconato di Liegi: „ indi ascese alla Cattedra del Vescovato di Verduno nell' Anno 1252. „ (*Lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 6.). Ergo sciebat Urbanus S. Julianæ secretum, non solum ab Anno 1230. ut gratis ei concedeba-

mus; sed etiam ab Anno 1252. Ergo non Annis triginta quatuor ante Festivitatis universalem promulgationem, sed tantum Annis duodecim.

Sed Anacronismorum nondum est finis. Prosequens enim Pennatius narrationem cronologicam rerum Urbani IV. hæc habet „ L'Anno 1262. Ur-
„ bano IV. ad istanza della Beata Eva Reclusa,
„ per mezzo di Enrico Vescovo di Liege, stabili-
„ sce, ed approva la solennità del Corpo di Cri-
„ sto per la suddetta Città di Liege, e sua Diocesi,
„ ed in questo Anno si celebrò questa solennità
„ per tutta la Diocesi di Liege. „ (*Lib.* 4. *cap.* 7. 1262.). Urbanus ergo IV. hoc Anno, unius Anni Pontifex, approbavit ad preces B. Evæ Solemnitatem Corporis Christi a Roberto Episcopo jam institutam pro Leodiensi Ecclesia. Sed hæc approbatio secum ferebat, necessitate medii, secretum Revelationis, propter quod Robertus Episcopus Solemnitatem ordinaverat, & Urbanus ipse tunc Archidiaconus, Revelationem examinaverat, Solemnitatique, ex motivo ipsius instituendæ, votum dederat, & Festivitatem ipsam coluerat, nec non celebraverat, ut supra ostensum est. Ergo Urbano Pontifici notum erat secretum Revelationis non tantum ab Anno 1252. verum etiam ab Anno 1262. Sed institutio Solemnitatis cecidit sub Annum 1264. ut Pennatius ipse docet (*Hierolog. cap.* 2 *num.* 3). Ergo nec Annis duodecim, ut supra dicebamus, sed tantummodo duobus ante prælaudatam Ordi-

nationem: imo nec duobus; sed in ipso Anno, imo ipsa die, sive potius ipso momento institutionis illud tenebat alta mente repostum, si verum est testimonium ejus, videlicet Urbani ingenue asserentis in sua sæpius recensita Constitutione, Festum a se institutum, fuisse olim quibusdam Catholicis revelatum. Ergo Revelatio non fuit motivum *remotum;* sed *proximum* Augustissimæ Festivitatis ordinationis.

Consequentia hæc, in qua consistit, ex Pennatio, totum Axe Controversiæ, probatur evidentissime ex ipsiusmet Pennatii principiis. Ideo enim putabat Pennatius, Revelationem fuisse motivum remotum Solemnitatis institutionis, quia supponebat, Urbanum IV. institutorem motum fuisse a Revelatione instituendæ Solemnitatis divinitus facta S. Julianæ Anno 1208., hoc est Annis quinquaginta sex ante Festivitatis institutionem (*ibi*). *Qual motivo noi chiamiamo remoto, perchè avvenne cinquantasei Anni avanti alla Data della Bolla*. Sed suppositio hæc est falsa, ut supra demonstravimus, quia Urbanus non a Revelatione, quam Deus S. Julianæ fecerat, motivum sumere potuit ordinandi Solemnitatem, quia prima illa Revelatio, ante viginti Annorum circulum nulli hominum; sed soli Deo, & Virgini suæ S. Julianæ, ex ipsomet supralaudato Pennatio, nota fuit; sed solum a publicatione ipsius Revelationis, & a communicatione ejusdem, quam ipse habuit sub

relatis diversis temporum differentiis; hoc est sub Annis 1230. a Canonico Lausenna; 1252. ab Ugone a Sancto Caro; & 1262. a Beata Eva, nec non 1264. ab idea, quam instituendæ Festivitatis gradatim in illis circumstantiis formaverat; & Menti, & Cordi fortiter hærentem tenebat. Recolantur autem quæ superius attulimus ex Emo Lambertino. Non fuit igitur Revelatio motivum *remotum*; sed *proximum* Augustissimæ Festivitatis institutionis, ut ex dictis apertissime patet.

Hæc itaque cum sint, Volsinates sint sua sorte contenti; sufficiat nimirum illis honor vere maximus, quod Deus eorum inclytum Oppidum, tamquam nobile Theatrum elegerit, in quo realem Domini nostri Jesu Christi Filii sui præsentiam sub Eucharisticis Speciebus, medio enunciato Miraculo, hominibus manifestaret. Ast sinant Leodienses gaudere privilegio cœlesti, ac singulari, quo Deus ipsos præelegit ad Solemnitatem Corporis, & Sanguinis ejusdem Filii sui in Catholica Ecclesia promovendam, mediis Revelationibus factis S. Julianæ Virgini, & Sanctimoniali Cisterciensi.

Dicat autem unusquisque eorum Leodiensibus, quod Robertus eorum Antistes dixit eidem S. Julianæ, postquam Divino Lumine illustratus, in Revelationibus ejus divinam Voluntatem, pro Dominici Corporis Festivitate instituenda, recognovit, » Quod in me, Juliana, Deus beneficium contulit, » quo Sanctissimam suam Voluntatem, & Decretum,

» de indicando Sacrosanctæ Eucharistiæ novo Festo,
» aperiret, in aliam, a priore, me sententiam ad-
» duxit.

Hinc etiam nobiscum ingenue fateantur, S. Julianam vere habuisse Revelationem de Dominici Corporis Solemnitate promovenda; Solemnitatem ipsam vere a Roberto Leodiensi Episcopo, ante Urbani IV. tempora, in Ecclesia sua fuisse promotam; & tandem Urbanum IV. eam promovisse in Ecclesia universali motum, non a Miraculo Volsinii, sed a Divinis S. Julianæ Revelationibus: adeoque S. Julianam Cisterciensem Virginem vere judicandam esse *Primam, & Universalem Augustissimæ, Sacratissimæque Dominici Corporis Solemnitatis Promotricem.*

CONSTITUTIO URBANI PP. IV.

De institutione Festivitatis Sanctissimi Corporis Christi pro Feria quinta post Octavam Pentecostes quotannis solemniter celebrandæ.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Transiturus de hoc Mundo ad Patrem Salvator noster Dominus Jesus Christus, cum tempus suæ Passionis instaret, sumpta Cœna in memoriam mortis suæ, instituit summum, & magnificum sui Corporis, & Sanguinis Sacramentum, Corpus in cibum, & Sanguinem in poculum tribuendo. Nam quoties hunc Panem manducamus, & Calicem bibimus, mortem Domini annunciamus. In institutione quidem hujus Sacramenti dixit ipse Apostolis: Hoc facite in meam commemorationem, ut præcipuum, & insigne memoriale sui amoris eximii, quo nos dilexit, esset nobis hoc præcelsum, & Venerabile Sacramentum, memoriale inquam mirabile, ac stupendum, delectabile, suave, tutissimum, ac super omnia pretiosum, in quo innovata sunt signa, & mirabilia

immutata, in quo habetur omne delectamentum, & omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur, in quo utique vitæ suffragium consequimur, & salutis. Hoc est memoriale dulcissimum, memoriale salvificum, in quo gratam Redemptionis nostræ recensemus memoriam, in quo a malo retrahimur, & in bono confortamur, & ad virtutum, & gratiarum proficimus incrementa, in quo profecto proficimus ipsius corporali præsentia Salvatoris. Alia namque, quorum memoriam agimus, spiritu, menteque complectimur: sed non propter hoc realem eorum præsentiam obtinemus. In hac vero Sacramentali Christi commemoratione, Jesus Christus præsens sub alia quidem forma, in propria vero substantia est nobiscum. Ascensurus enim in Cœlum dixit Apostolis, & eorum sequacibus: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, benigna ipsos promissione confortans; quod remaneret, & esset cum eis etiam præsentia corporali: O digna, & numquam intermittenda memoria, in qua mortem nostram recolimus mortuam, nostrumque interitum interiisse, ac lignum vivificum ligno Crucis affixum, fructum nobis attulisse salutis. Hæc est commemoratio gloriosa, quæ fidelium animos replet gaudio salutari, & cum infusione lætitiæ, devotionis lacrymas subministrat. Exultamus nimirum nostram memorando liberationem, & recolendo Passionem Dominicam, per quam liberati sumus, vix lacrymas continemus. In hac itaque

sacratissima commemoratione adsunt nobis suavitatis gaudium simul, & lacrymæ, quia & in ea congaudemus lacrymantes, & lacrymamur devote gaudentes, lætas habendo lacrymas, & lætitiam lacrymantem; nam & cor ingenti perfusum gaudio, dulces per oculos stillat guttas. O divini amoris immensitas, divinæ pietatis superabundantia, divinæ affluentia largitatis. Dedit enim nobis Dominus omnia, quæ subjecit sub pedibus nostris, & super universas terræ creaturas, contulit nobis dominii principatum. Ex ministris etiam spirituum superiorum nobilitat, & sublimat hominis dignitatem. Administratorii namque sunt omnes in ministerium propter eos, qui hæreditatem salutis capiunt, destinati. Et cum tam copiosa fuerit erga nos ejus munificentia, volens adhuc ipse in nobis suam exuberantem charitatem præcipua liberalitate monstrare, semetipsum nobis exhibuit, & transcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem modum dilectionis excedens, attribuit se in cibum. O singularis, & admiranda liberalitas, ubi donator venit in donum, & datum est idem pœnitus cum datore. Quam larga, & prodiga largitas, cum tribuit quis seipsum! Dedit igitur nobis se in pabulum, ut quia per mortem homo corruerat, & per cibum ipse relevaretur ad vitam. Cecidit homo per cibum ligni mortiferum; relevatus est homo per cibum ligni vitalis. In illo pependit esca mortis; in isto pependit vitæ alimentum. Illius esus meruit læsionem, istius gustus in-

tulit sanitatem. Gustus sauciavit, & gustus sanavit. Vide, quia unde vulnus est ortum, prodiit & medela; & unde mors subiit, exinde vita evenit. De illo siquidem gustu dicitur: Quacumque die comederis, morte morieris; de isto vero loquitur: Si quis comederit ex hoc pane, vivet in æternum. Hic est cibus, qui plene reficit, vere nutrit, summeque impinguat, non corpus, sed cor; non carnem, sed escam, non ventrem, sed mentem. Homini ergo, qui spirituali alimonia indigebat, Salvator ipse misericors, de nobiliori, & potentiori hujus mundi alimento pro animæ refectione pia dispositione providit, decens quoque liberalitas extitit, & conveniens operatio pietatis, & verbum Dei æternum, quod rationabilis creaturæ cibus est, & refectio, factum caro, se rationabili creaturæ carni, & corpori, homo videlicet, in edulium largiretur; panem enim Angelorum manducavit homo, & ideo Salvator ait, Caro mea vere est cibus. Hic panis sumitur, sed vere non consumitur; manducatur, sed non transmutatur, quia in edentem minime transformatur, sed si digne recipitur, sibi recipiens conformatur. O excellentissimum Sacramentum, o adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum, cunctis honorandum studiis, devotis prosequendum obsequiis, & sinceris mentibus retinendum. O memoriale nobilissimum intimis commendandum præcordiis, firmiter animo alligandum, diligenter,

reservandum in cordis *utero*, & meditatione, ac celebritate sedula recensendum. Hujus memorialis continuam debemus celebrare memoriam, ut illius, cujus ipsum fore memoriale cognoscimus, semper memores existamus, quia cujus donum, vel munus frequentius aspicitur, hujus memoria strictius retinetur.

§. I. Licet igitur hoc memoriale Sacramentum in quotidianis Missarum solemniis frequentetur, conveniens tamen arbitramur, & dignum, ut de ipso, semel saltem in anno, ad confundendam specialiter hæreticorum perfidiam, & insaniam, memoria solemnior, & celebrior habeatur. In die namque Cœnæ Domini, quo die ipse Christus hoc instituit Sacramentum, Universalis Ecclesia pro pœnitentium reconciliatione, sacri confectione Crismatis, adimpletione mandati circa lotionem pedum, & aliis quamplurimum occupata plene vacare non potest celebrationi hujus maximi Sacramenti. Hoc enim circa Sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipsa observat Ecclesia, ut quamvis in Litaniis, & Missis, ac aliis etiam ipsorum memoriam sæpius renovemus; nihilominus tamen ipsorum natalitia certis diebus per annum solemnius recolat, festa propter hoc eisdem diebus specialia celebrando. Et quia in his festis circa solemnitatis debitum aliquid per negligentiam, aut rei familiaris occupationem, aut alias ex humana fragilitate omittitur, statuit ipsa Mater Ecclesia certum diem, in quo

generaliter omnium Sanctorum commemoratio fieret, ut in hac ipsorum celebratione communi, quidquid in propriis ipsorum festivitatibus omissum existeret, solveretur. Potissime igitur exequendum est erga hoc vivificum Sacramentum Corporis, & Sanguinis Jesu Christi, qui est Sanctorum omnium gloria, & corona, ut Festivitate, ac celebritate præfulgeat speciali, quatenus in eo, quod in aliis Missarum officiis circa Solemnitatem est forsitan prætermissum, devota diligentia suppleatur, & fideles festivitate ipsa instante, intra se præterita memorantes, id quod in ipsis Missarum solemniis, sæcularibus forsan agendis impliciti, aut alias ex negligentia, vel fragilitate humana minus plene gesserunt, tunc attente in humilitate spiritus, & animi puritate restaurent. Intelleximus autem olim, dum in minori essemus officio constituti, quod fuerat quibusdam Catholicis divinitus revelatum, festum hujusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum.

§. 2. Nos itaque ad corroborationem, & exaltationem Catholicæ fidei digne, ac rationabiliter duximus statuendum, ut de tanto Sacramento præter quotidianam memoriam, quam de ipso facit Ecclesia, solemnior, & specialior annuatim memoria celebretur, certum ad hoc designantes, & describentes diem, videlicet feriam quintam proximam post Octavam Pentecostes, ut in ipsa quinta feria devotæ turbæ fidelium propter hoc ad Ecclesias affectuose concurrant, & tam Clerici, quam Po-

puli gaudentes, in cantica laudum surgant. Tunc enim omnium corda, & vota, ora & labia, hymnos persolvant lætitiæ salutaris: tunc psallat fides; spes tripudiet; exultet charitas; devotio plaudat; jubilet chorus; puritas jucundetur. Tunc singuli, alacri animo, pronaquæ voluntate conveniant sua studia laudabiliter exequendo, tanti festi solemnitatem celebrantes. Et utinam ad Christi servitium sic ejus fideles ardor inflammet, ut per hæc, & alia proficientibus ipsis meritorum cumulis apud eum, qui sese dedit pro eis in pretium, tribuitque se ipsis in pabulum, tandem post hujus vitæ decursum eis se in præmium largiatur.

§. 3. Ideoque Universitatem vestram monemus, & hortamur in Domino, & per Apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, in remissionem peccatorum injungentes, quatenus tam excelsum, & tam gloriosum festum, prædicta quinta feria singulis annis devote, & solemniter celebretis, & faciatis studiose per universas Ecclesias Civitatum vestrarum, & Diœcesum celebrari, subditos vestros in Dominica dictam quintam feriam proxime præcedente, salutaribus monitis sollicite, per vos, & per alios exhortantes, ut per veram, & puram confessionem, eleemosynarum largitionem, attentas, & sedulas orationes, & alia devotionis, & pietatis opera, taliter se studeant præparare, quod hujus pretiosissimi Sacramenti mereantur fieri participes illa die, possintque ipsum

cisuspere reverenter, ac ejus virtute augmentum consequi gratiarum.

§. 4. Nos enim Christifideles ad colendum tantum festum, & celebrandum donis volentes spiritualibus animare; omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui matutinali officio festi ejusdem, in Ecclesia, in qua idem celebrabitur, interfuerint, centum; qui vero Missæ, totidem; qui autem in primis ipsius festi Vesperis interfuerint, similiter centum; qui vero in secundis, totidem. Illis vero, qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, ac Completorii officiis interfuerint, pro qualibet Horarum ipsarum quadraginta. Illis autem, qui per Octavas illius Festi, Matutinalibus, Vespertinis, Missæ, ac prædictarum Horarum officiis interfuerint, centum dies, singulis octavarum ipsarum diebus, in Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Apostolorum ejus Petri, & Pauli auctoritate confisi, de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus. Datum &c.

EXEMPLAR TABULÆ

Quæ Volsinii extat in celebri S. Christinæ Templo, ubi Corporalis Christi Sanguine persusi Miraculum accidit.

J. D. N. A.

Cum advenit Sacri temporis plenitudo, quo misit Deus Filium suum Unigenitum in hunc Mundum, natum ex Virgine, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, & adoptionem reciperemus: Ipseque Dei Filius suæ Divinitatis volens nos esse participes, naturam nostram assumpsit, ut homines Deos faceret factus Homo. Et cum demum disponeret proprio Sanguine genus humanum, non ex operibus justitiæ, quæ fecerit, sed ex summa clementia, & misericordia spirituali in ultima Cœna, cum esset proximus Passioni, ac etiam transiturus ex hoc Mundo ad Patrem, volens nobis relinquere suæ Passionis memoriale perenne figurarum veterum impletivum, Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, panem, & vinum obtulit, ipsum panem in Corpus proprium, & vinum in Sanguinem convertendo, quod venerabilibus suis manibus Discipulis suis dedit ac, etiam propinavit, mandans eis expresse imposterum

per eos in sui memoriam hoc esse faciendum, ut Evangelica testatur Historia; & ille Prophetarum eximius fideli carmine testatur, quando Misericors, & Miserator Dominus in memoriam suorum mirabilium se timentibus escam dedit, & ut panem Cœli manducaret homo, & adipe frumenti suum Populum Dominus satiaret; qui etiam ipse Dei Filius, & Dominus noster Jesus Christus, Dominus Dominantium, & Rex Regum post suam sacratissimam Passionem, in Cœlos Ascensionem, ad confirmandam fidem ipsius Sacramenti, & multorum Infidelium incredulitatem, & duritiam auferendam, & ne possimus in futurum super hoc Sacramento in aliquo dubitare, & de mentibus omnium omnis ambiguitas tolleretur, & ne simus increduli, sed fideles, & ex ejus immensa Bonitate, & Charitate præcipua signa, & miracula fide digna quamplurima, & veneratione maxima veneranda ostendit circa dubia hujus Sacramenti, & inter alia sunt hæc quæ hic inferius, prius habita informatione solemni, per ordinem describentur. Tempore, quo celebris memoriæ Urbanus Papa Quartus cum suis Fratribus Cardinalibus, & Curia in Urbeveteri existebat, fuit quidam Sacerdos Teuthonicus, discretione præcipuus, morumque honestate præclarus, & fidelem se omnibus exhibebat: Nisi quod in Fide hujus Sacramenti plurimum dubitabat. Videlicet qualiter esse posset, quod ad prolationem illorum verborum per Sacerdotem: *Hoc*

est enim Corpus meum panis in verum, & sacratissimum Corpus Christi; & ad prolationem illorum verborum: *Hic est sanguis meus* vinum transubstantiaretur in Sanguinem. Attamen Omnipotentem Deum quotidie in suis Orationibus precabatur, ut sibi dignaretur ostendere signum aliquod, per quod posset de suo pectore omnis ambiguitas removeri; quapropter adveniente tempore Omnipotens, & Misericors Deus, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat, ac in se sperantem neminem derelinquit, & ut præfatus Sacerdos ab ipso errore desisteret, & Fides majorem acciperet firmitatem, contigit quod præfatus Sacerdos proposuit ob suorum veniam peccatorum visitare limina Apostolorum Petri & Pauli, & alia pia loca; quare iter arripuit versus Urbem: & cum Castrum Volsinii attigisset Urbevetanæ Diœcesis in hac præsenti Ecclesia Sanctæ Cristinæ Virginis, & in hoc loco Pedatarum vulgo prolato, ubi vestigia pedum Virginis mirabiliter quasi sculpta videntur, disposuit celebrare; qui dum Missam in hoc loco celebraret, & Hostiam supra Calicem teneret in manibus, res mira, tam antiquis, quam modernis temporibus Miraculo stupenda monstratur. Nam illico eadem Hostia apparuit visibiliter vera caro, & roseo cruore respersa; ea particula dumtaxat exempta, quæ ipsius digitis tangebatur, quod absque Mysterio non creditur contigisse sed potius ut cunctis innotesceret, illam vere fuisse Hostiam, quæ

ipsius Sacerdotis celebrantis manibus super Calicem ferebatur; insuper quædam benda de Syndone, quæ ad obsequium Calicis tenebatur, ex ipsa effusione Sanguinis extitit madefacta; quo viso Miraculo, qui prius dubitaverat, certificatus obstupuit, atque ipsum Corporale studuit cooperire; sed quanto magis abscondere nitebatur, Dextera Domini faciente virtutem, eo magis Miraculum peramplius, & perfectius vulgabatur. Nam singulæ guttæ Sanguinis ex illa manantes, quotquot ipsius Corporalis maculas contigerunt, singulas figuras ibidem in similitudinem Hominis impresserunt; quod cum Sacerdos territus cerneret, ab ipsa celebratione destitit, & ulterius procedere non præsumpsit; quin immo tactus dolore cordis intrinsecus, ac pœnitentia ductus, prius ipso venerabili Sacramento in Sacrario dictæ Ecclesiæ cum devotione tam devota, quam debita, collocato, ad ipsum Summum Pontificem festinus accessit, & ad pedes ejus procidens, omnia quæ gesta fuerant notificavit eidem, & ab eodem de sui cordis duritia, & errore veniam & misericordiam postulavit; quibus auditis Romanus Pontifex, immensa admiratione repletus, & quia erat Vicarius illius in terris, qui cor contritum, & humiliatum non spernit, ipsum absolvit, & pœnitentiam ei tribuit salutarem, & ut Lucerna super Candelabrum posita magis iis, qui in Domo Domini sunt, luceret, decrevit ipsum venerabile Corpus Christi ad Ecclesiam Urbevetanam deferri,

quæ Genetricis suæ extitit vocabulo insignita, atque Urbevetano Episcopo mandavit expresse, qui se apud prædictam Ecclesiam Beatæ Christinæ conferret, & illud ad Civitatem deferret eamdem, qui jussis ipsius obtemperans ad locum, ubi id erat, accessit, & reverenter accipiens cum Clericorum, & aliorum multorum comitiva, ductuque prope Civitatem ad Pontem deduxit torrentis cujusdam, ut vulgari sermone dicitur *Rivus clarus*, ubi ipse Romanus Pontifex cum suis Cardinalibus, Clericis, Religiosis, & Urbevetanorum multitudine copiosa, cum immensa devotione, & lacrymarum effusione obviam venit, & ut in die Palmarum Pueri Hebræorum, sic Pueri, & juvenes Urbevetani cum ramis olivarum cantantes obviam venerunt. Cumque per ipsum Pontificem genuflexum illud venerabile Sacramentum propriis suis manibus fuisset assumptum, ad ipsam Urbevetanam Ecclesiam deduxit cum Hymnis, & Canticis, & gaudio, & lætitia, & ipsum in Sacrario Ecclesiæ honorifice collocavit. Atque Doctori eximio B. Thomæ de Aquino in ejus præsentia constituto, mandavit: quatenus Officium Corporis Christi, videlicet Missam, & Horas Canonicas ordinaret, pie statuens hujus Sacramenti *Festivitatem* prima quinta Feria post Octavam Pentecostes a cunctis Fidelibus celebrari, atque ut per totum Anni circulum hoc Sacramento utimur ad salutem, illo specialiter tempore recolimus, quo Spiritus Sanctus Discipulorum corda e-

docuit, ad plene cognoscendum hujus Mysteria Sacramenti, qui Doctor eximius, tamquam obedientiæ filius, ipsum officium ordinavit, quod per universum Orbem in omnibus Ecclesiis decantatur. Et ut præfata quinta Feria, & per Octavas sequentes ejusdem salutaris institutionis honorificentius agatur memoria; & solemnitas de hoc celebrior habeatur, loco distributionum materialium, quæ in Ecclesiis, ubi celebratur, stipendia spiritualia Apostolica largitione concessit. Unde vere pœnitentibus, & confessis, qui Matutinali Officio hujus Festi præsentialiter in Ecclesia, ubi celebraretur, adessent, centum dies; qui vero Missæ, totidem; illis autem, qui intercessent primis ipsius Festi Vesperis, similiter centum; qui vero in secundis, totidem; eis quoque, qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, ac Completorii adessent Officiis, pro qualibet Horarum, quadraginta; illis autem, qui per hujus Festi Octavas in Matutinalibus, Vespertinis, Missæ, ac prædictarum Horarum Officiis præsentes assisterent, singulis diebus Octavarum ipsarum Centum dierum Indulgentiam misericorditer tribuit, perpetuis temporibus duraturam. Anno Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi MCCLXIII.

INDEX.

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
10	6	speciebus in eorum	speciebus existentia in eorum
11	8	parte	partes
18	20	fueri	fieri
19	20	ad integram	ad integrum
20	13	prælegisset	præelegisset
25	17	Ant. Zapes	Ant. de Yepes
31	22	inviolabiter	inviolabiliter
33	20	pubblice	publice
35	24	accomodatum	accommodatum
36	2	Diocesi	Dioecesi
38	19	istituendo . Officii	instituendo Officii
50	29	Galliganum	Gallicanum
60	6	Sacrosanctum	Sacrosanctam
65	12	Eves	Evæ
74	29	sue	suæ
82	10	Christo	Christ.
109	1	cisuspere	suscipere

Alia minoris momenti, quæ forte occurrent, errata benignitati Lectorum emendanda relinquuntur.

VIDIT
Sylvester Prior Sodi Revisor pro Illmo
& Rmo Episcopo Fulginiæ.

IMPRIMATUR.
Fr. Ludovicus Puccinelli Vicarius
S. Officii Fulginiæ.

VISTO
Per l' Apostolica Delegazione di Perugia
li 13 Febbrajo 1824.
D. Vincenzo Bini Ab. Cassinense.